This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gh
63
523

Gh 65.523

Harvard College Library

FROM

University of Kiel

Gh 63, 52

Quomodo dei in Homeri Odyssea cum hominibus commercium faciant.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Benno Diederich

Berolinensis.

Adversarii erunt:

W. Clausen, cand. phil.
W. Gentzen, cand. phil.
C. Hölk, Dr. phil.

Kiliae.
Ex officina H. Fiencke.
MDCCCLXXXXIV.

NOV 21 1894
Univ. of Kiel.

No. 15.

Rectoratsjahr 1893/94.

Imprimatur:

Dr. H. Gehring,
h. t. decanus.

Paulo Cauer

sacrum.

Argumentum.

pg.

Caput I. Epiphaniis α, $\beta\gamma$, ω comparatis manifestum fit haud paucas differentias inter diversorum temporum res divinas intercedere..... ..... 1—26

§ 1. Postquam, quae scholiastae ad Iliadis et Odysseae epiphanias adnotaverunt, congessimus paucisque verbis, quomodo his temporibus viri docti in Homeri res divinas inquisiverint, adumbravimus,..... 1 sq.

§§ 2. eos Odysseae locos, ubi dei cum hominibus commercium faciunt,—quos ad Homeri carminum compositionem intellegendam maxime idoneos esse cognoscimus—enumeramus... 5 sq.

§ 3. Tum, ubi epiphaniam α longo tempore post epiphaniam $\beta\gamma$ conceptam esse comprobatum videmus, ... 8

§ 4. utramque vero admodum paucis differentiis ideo seiunctam esse cognoscimus, quod altera alteri imitationi fuit,... 8 sq.

§ 5. ad epiphaniam ω nos convertimus, quae eadem recentissimis temporibus composita est..... 11 sq.

§ 6. Hac autem epiphania cum libris $\beta\gamma$ comparata intellegitur, satis multas et graves differentias inter utriusque loci res divinas intercedere,..... 13 sq.

§ 7. quin etiam apparet epiphanias α et $\beta\gamma$ de rebus divinis saepius, quam supra cognovimus, dissentire..... 18 sq.

§ 8. Istas vero differentias ideo ad Homericorum carminum compositionem cognoscendam adhibere licet, quod non per casum exortae, sed in diversorum temporum ratione et arte positae sunt..... 21 sq.

Caput II. Cum differentias, quas primo capite invenimus, ad singularum Odysseae epiphaniarum aetates constituendas adhibemus, primos eos locos perlustramus, ubi dei commutati cum hominibus commercium faciunt..... 26—75

§ 9. Postquam iudicandi notas, e quibus de singulorum locorum temporibus iudicium facimus, breviter repetivimus,... 26 sq.

§ 10. primum eos locos perlustramus, ubi dei hominum, qui nominatim appellantur, formas induunt, h. e. vs. χ 205—240, ubi Minerva Mentoris forma induta apparet,..... 27 sq.

pg.

§ 11. et vs. ζ 13—47, ubi eadem dea Dymantis filiae formam induit. . . . . 31 sq.

§ 12. Tum ad eos locos transeuntes, ubi homines, quorum formas dei induunt, non nominatim appellantur sed de moribus et habitu describuntur, recensemus vs. η 19—81, ubi Minerva Phaeacum virginis formam induit, ... 33 sq.

§ 13. vs. ϰ 277—308, ubi Mercurius iuvenis forma induta cum Ulixe colloquitur, ... 38 sq.

§ 14. vs. ν 221 — 286, ubi Minerva adulescentis formam induit. . . . . 40 sq.

§ 15. Deinde eos locos tractamus, ubi Minerva formam mulieris operosae induit, h. e. vs. ν 287—440, ... 49 sq.

§ 16. vs. π 155—177, ... 67 sq.

§ 17. vs. υ 30—55. . . . . 70 sq.

§ 18. Denique eos locos perlustramus, ubi homines, quorum formas dei induunt, sola de arte, quam exercent, describuntur, h. e. vs. ϑ 7—15 et ϑ 193—199, ubi Minerva praeconis et Phaeacis cuiusdam formas induit. . . . . 72 sq.

Caput III. Transimus ad eos locos, ubi dei coelestes non commutati apparent aut dei minores cum hominibus commercium faciunt. 76—87

§ 19. Non commutata Minerva cum Telemacho versibb. ο 1—43 76 sq.

§ 20. et cum Penelope versibb. σ 190—97 commercium facit. 79 sq.

§ 21. Nunc vero, quoniam omnes locos, ubi dei coelestes cum hominibus colloquuntur, perlustravimus, summam huius dissertationis facientes certos gradus constituimus, quibus poetarum diligentia in rebus divinis depingendis delapsa est . . . . . 80 sq.

§ 22. Deorum minorum epiphaniae recensentur. . . . . 83 sq.

Caput I.

§ 1.

Graeci inde ab ea aetate, ubi primum res aut memoria traditas aut communi opinione comprobatas judicando examinare coeperunt, summa cum diligentia ac subtilitate ea, quae Homerus de deis rebusque divinis tradit, perlustraverunt: testis est Xenophanes, qui Homerum gravissimo impietatis crimine arguit (apud Sext. Emp. adv. mathem. IX 193, cfr. Arist. poet. 1460b 37), testis Plato, qui istam maxime ob causam eum e re publica sua remotum voluit. Neque mirum est, quod etiam in Alexandrinorum, qui vocantur, scholiis haud pauca exstant, unde cognoscitur illius aetatis viros doctos satis varium in modum his studiis incubuisse. Rationem autem et viam, qua res divinas perlustraverint, ut perspiciamus, ea congerere liceat, quae scholiastae de deis in conspectum hominum venientibus adnotant.

Etenim duas inibant vias ad divinas res intellegendas: alteram, qua, quae Homerus tradidit, per allegoriam explanabant, alteram, qua, quae sibi commemoratione digna videbantur, adnotare contenti ipsorum sentiendi rationem cum eis, quae apud Homerum scripta legebant, comparabant. — Qui res divinas allegorice interpretantur, per Minervam aerem (schol. E ad *β* 433) vel sapientiam (*φρόνησις* schol. E. ad *α* 96. 270. *γ* 372; schol. A. B ad A 195) vel mentem (*νοῦς*. schol. B ad B 156), per Mercurium rationem (*λόγος*. schol. H. Q ad *κ* 277) significari docent; adnotant Minervam ideo epitheto *ὀβριμοπάτρη* ornari ‘ *διότι τῆς φρονήσεως πατὴρ ὁ νοῦς ἐστιν*’ (schol. E ad *α* 10), Telemachum ideo Minervam primum aspexisse, quod sapientia inter reliquos floreret

(schol. E ad *α* 113); verbis '*θεῶν ἐν γούνασι*' siderum motus intellegi volunt, '*ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν γονάτων*' ut addunt (schol. P ad *α* 267).

Eorum, qui ex altera parte stant, studia magis varia videntur fuisse, cum omnia fere circumspiciant, quae ad deorum cum hominibus commercium pertinent. Quaerunt, quibusnam muneribus singuli dei fungantur: quam ob rem, quod Mercurius, non Iris, ad Priamum demissus est, hunc in modum explicant: *οὐ γάρ ἀγγελίας μόνον ἔδει ψιλῆς . . . ἀλλ' ἐπὶ τῷ φιλοποιῆσαι αὐτὸν Ἀχιλλεῖ καὶ κλέψαι τὴν πορείαν* (schol. B T ad *Ω* 334, sim. schol. B T ad *Δ* 69, ad *Ο* 221. 254, schol. A B T ad *Ψ* 383); item quaerunt, cur Neptunus, non Venus, Aeneae filio auxilio venerit (schol. B T ad *Υ* 291), cur bini dei (*Φ* 284—98) rebus hominum se admisceant (schol. B T ad *Φ* 284), cur Iris sua sponte cum Helena colloquatur (schol. T ad *Γ* 121), neque eos fugit, quod dei passim nihil conficiunt (schol. B T ad *Φ* 288) aut supervacaneos se praebent (schol. A ad *Β* 791). Observant, quasnam res dei conficiendas sibi proposuerint, veluti vs. *Β* 279 Minervae auxilio ad exercitum pacandum opus esse adnotant (schol. B ad *Β* 279), aut deos praecipue eis rebus, quae magni momenti sint, se admiscere (schol. B T ad *Β* 156). Intellegunt non nihil valere, qua via ac ratione dei proposita consequi studeant; itaque vs. *β* 791—95 eliminant: Iridem enim, si Trojanis animum addere velit, non commutata forma apparere debere (schol. A ad *Β* 791), similique de causa quaerunt, num Minerva bene fecerit, cum Telemachum e patria discedere juberet (schol. H ad *α* 284); verum ex altera parte interdum adnotant deos ex proposito egisse (schol. E ad *γ* 366, schol. P Q ad *η* 54, schol. E Q T ad *ϑ* 12). Eiusdem momenti existimant, num dei, qui inter homines mortales commorantur, nihilominus ipsorum divinae naturae rationem habeant; itaque Zenodotus versus *Γ* 423—426 audaci coniectura deformat: '*ἀπρεπὲς γὰρ αὐτῷ ἐφαίνετο τὸ τῇ Ἑλένῃ τὴν Ἀφροδίτην δίφρον βαστάζειν*' (schol. A ad *Γ* 423, B T ad *Γ* 424), similemque in modum saepius offenduntur (schol. B ad *Χ* 227, T ad *Χ* 231; schol. B ad *Δ* 211, schol. A ad *Δ* 66, schol. A

ad Λ 88, quem versum idem Zenodotus eliminat '*ἀνθρώπινον τὸ ζητεῖν εἶναι δοκῶν*'); laudem vero Homero tribuunt, si dei ipsorum naturae . convenienter agunt (schol. M Q ad γ 360). Tum quaerunt, utrum dei commutati appareant necne, quamobrem, cur Minerva in libro o non commutata adsit, explicatur (schol. Q ad *o* 9). Si vero dei commutati apparent, praecipue formas, quas induunt, observant, velut Zenodotus inter versus Ξ 136 et 137 inserit verba '*ἀντιθέῳ Φοίνικι ὀπάονι Πηλείωνος*' cum offendatur, quod seni, cuius formam Neptunus induit, nomen non inditum est (schol. A T ad Ξ 136), similiaque exempla saepius inveniuntur (schol. B T ad *P* 555. 584, ad Π 717, ad Ω 347, ad Λ 87; schol. T ad *N* 45, ad *E* 462, schol. B ad Ξ 136, schol. Q ad β 401, schol. H Q ad ν 222, V ad ν 223, schol. V ad ν 288). In commutationibus animadvertunt, utrum dei partes susceptas bene agant necne, illud laudibus efferunt, hoc in suspicionem vocant, velut vs. Γ 396—418, ubi Venus partes suas temere deponit, uncis includunt (schol. A ad Γ 395, B T ad Γ 396, cfr. schol. A B T ad Ξ 147); in bestias vero deos commutari negant (schol. H Q ad χ 240), quae res etiam nostra aetate nondum diiudicata est. In universum autem monent homini mortali summo honori tribuendum esse, si cum deis commercio coniunctus sit: itaque Nestorem, qui deam abscedentem agnoscit, non tam de eius praesentia mirari censent, quam quod Minerva una cum Telemacho adulescente iter fecerit (schol. E M Q ad γ 372). Quaerunt quoque, cur dei ab hominibus cognoscantur, veluti vs. γ 366 (schol. E) Minervam ideo veram naturam ostendere judicant, ut Telemachum Nestori gratum reddat (simil. schol. T ad *N* 65, schol. B T ad Ω 460, ad Ξ 147, schol. V ad ν 288). Sed non solum ad deos, verum etiam ad homines, quibuscum illi commercium faciunt, animos intendunt, ut ex scholiis A ad *N* 70, B T ad *N* 71, ad Λ 199, ad *O* 246 cognoscimus, ubi exponitur, quibus notis vel signis homines divinam naturam perspexerint, et ex scholio B T ad *X* 15. 20, ubi de ratione, qua Achilles cum Apolline colloquitur, satis verbose agitur. Denique praeter ea, quae ad singulos versus adnotant, occasione data ostendunt sese etiam ad

universas res divinas animos referre, velut si docent: '*ἔθος δὲ Ὁμήρῳ τοῖς μὴ παροῦσιν εἰκάζειν τοὺς θεούς*' (schol. B T ad *E* 785) aut '*ἔθος ἐστὶ τοῖς μεταμορφουμένοις θεοῖς κατὰ τὴν ἄφοδον ἀπολιπεῖν τεκμήριον εἰς ἐπίγνωσιν*' (schol. A ad *B* 791). Quin etiam quantum intersit inter poetam et eos, quos agentes facit, eos non fugit, ut cognoscitur ex scholio B P Q S V ad *β* 262: *ὁ μὲν Τηλέμαχος ἁπλῶς θεὸν ἐπικαλεῖται· ἀγνοεῖ· γὰρ τίς ἦν θεῶν ὁ φανεὶς αὐτῷ, ὁ δὲ ποιητὴς· 'εὖχετ' Ἀθηναίῃ' φησίν.*

Videmus igitur illorum temporum viros doctos Homeri res divinas satis varium in modum perscrutatos esse; sed non satis habebant solum adnotare, quae sibi commemoratione videbantur digna, verum ea, quae isto studio cognoverant, ad Homericorum carminum compositionem perspiciendam adhibebant. Memineris quaeso, ut exempla afferam, Zenodotum e versibus *Γ* 423—426 et *Δ* 88 illos temeraria coniectura commutasse, hunc eliminasse, utrumque ea de causa, quod, quae dei facerent, cum divina natura non consentirent. Et certe optimo jure, ut in his versibus aliquantum subsistamus, in offensionem vocavit, quod poeta naturam deorum satis neglegenter depinxit; nam qui deos hominum et muneribus fungentes et moribus utentes facit, sine dubio divinam naturam neglegit. Praeterea, si versus offensos eliminat vel coniectura commutat, hoc concedimus, istam deos depingendi rationem cum ea dissentire, quam multis aliis in locis usitatam videmus, At tamen vir doctissimus versus traditos non recte commutavit; neque enim his solis neque paucis tantum in locis natura divina cum impietate quadam describitur, sed saepissime idque non raro eis in locis, qui ad totius fabulae argumentum gravissimi momenti sunt. Itaque Zenodotus, cum videret res divinas apud Homerum non uno atque eodem modo depingi, singulasque depingendi rationes ita inter se dissentire, ut eidem poetae tribui vix possent, non ad coniecturas decurrere, sed constituere debebat, quaenam partes singulis poetis essent adscribendae. Et re vera qui his temporibus studiis Homericis operam navarunt, velut Lachmann, Kirchhoff, Köchly, Kammer, Niese, Wilamovitz, argumenta cum alia tum e

rebus divinis petita ad tempora, quibus singuli loci compositi essent, constituenda adhibuerunt. Sed cum Homeri deos non respicerent nisi occasione data, saepissime ex ipsorum sentiendi ratione judicaverunt, quo factum est, ut non raro in errores inciderent. Ille vero, qui universas res divinas funditus pertractavit, Naegelsbachium dico, Homericorum carminum compositionem cum plane neglegeret, theologiam Homericam tamquam unam et simplicem sibi excogitavit. Quae cum ita sint, operae est pretium et Naegelsbachii et aliorum inquirendi rationibus coniunctis videre, quidnam e rebus divinis continuo pertractatis ad Homericorum carminum compositionem cognoscendam efficiatur.

§ 2.

Jam vero si ex eis, quae singuli poetae de rebus divinis senserint, de Homericorum carminum compositione doceri propositum est, imprimis oportet, ut ea perlustremus, quae ad cuiusque poetae proprium sensum cognoscendum maxime idonea sunt. Sunt autem idonei ei potissimum loci, ubi dei cum hominibus commercio et colloquio coniunguntur. Singuli enim versus, ubi de deorum auctoritate, potentia, similibus rebus verba fiunt, ideo non sine dubitatione in judicium vocantur, quod admodum raro constat, utrum a poeta ipso compositi an more illorum temporum alia ex parte recepti et iterati sint. Velut, ut exemplum afferam, ex versibus δ 237 et ξ 445, ubi de Jove scriptum videmus '*δύναται γὰρ ἅπαντα*', concludere non licet, ut uterque poeta de deo idem senserit aut uterque versus ab eodem poeta compositus sit; immo, cum facillime fieri posset, ut alter alterius verba in suum usum converteret, a principio ex isto hemistichio de poetarum pietate aut versuum aetate nihil efficitur. Sin autem poetae deorum cum hominibus congressus depicturi erant, quamquam passim versus iteratos inserere licebat, tamen cogebantur, ut ipsi in universum animis sibi effingerent, qua ratione dei et homines commercium inter se facerent et colloquerentur; hoc

igitur potissimum argumento ad cuiusque poetae indolem cognoscendam utimur. Praeterea etiam inter Iliadem et Odysseam differentia intercedit, quae non tam in rerum divinarum natura quam in utriusque carminis argumento et propria natura posita est. Illic enim res divinae propter deorum magnum numerum variamque commercium faciendi rationem satis difficulter perspiciuntur; verum in Odyssea, ubi de una maxime dea agitur, res divinae varietate illa non perturbantur. Quae cum ita sint, nobis proposuimus, ut eos Odysseae locos, ubi dei cum hominibus commercium faciunt, quos breviter „epiphanias" appellare liceat, accuratius perlustremus.

Inveniuntur autem in Odyssea epiphaniae haece:

1. α 96—323. Minerva Mentis, Taphiorum regis forma induta Telemacho, a quo magna cum liberalitate excipitur, suadet, ut postero die contione convocata procos secedere jubeat, ipse vero nave comparata Pylum et Spartam proficiscatur, ut de patre absente exploret. Haec ubi praecepit, dea mira cum celeritate discedit.

2. β 260—γ 373. Minerva Mentoris specie induta Telemachum, cuius precibus advocata est, consolatur omniaque ad proficiscendum comparat, a Noemone navem impetrat, socios convocat, procos consopit. Tum ipsa una cum Telemacho et sociis nave conscensa Pylum vehitur, ubi Ulixis filium Nestori gratum reddit; quo facto iterum mira cum celeritate abit.

3. δ 364—425. Eidothea dea marina Menelao, quocum Phari in insula congreditur, ostendit, quomodo Proteo patre capto de rebus futuris certior fiat.

4. δ 450—570. Proteus a Menelao eiusque sociis vi captus, postquam varias formas induit, errores virorum fortium, qui Troja expugnata revertebantur, refert futuraque canit.

5. ε 55—268. Ulixis cum Calypso nympha commercium enarratur.

6. ε 333—352. Leucothea marina dea Ulixem naufragum vitta data ab interitu servat.

7. ζ 13—47. Minerva Dymantis filiae forma induta Nausicaam dormientem postero die mane, ut vestimenta lavet, ad fluvium se conferre jubet.

8. η 19—81. Minerva, cum Ulixem Phaeacum ingenuae puellae forma induta in urbem introducit, praecepta dat, quomodo Phaeacum animos sibi conciliet.

9. θ 7—15. Minerva praeconis forma induta Phaeaces ad contionem convocat.

10. θ 193—199. Minerva humana forma induta proclamat Ulixem lapide icto omnes Phaeaces superasse.

11. κ 277—308. Mercurius forma ingenui juvenis induta, Ulixi, quocum in Circes insula congreditur, herbam tradit, qua deae magicis artibus resistat.

12. κ 210—574. Ulixis et sociorum cum Circe nympha commercium enarratur.

13. ν 224—440. Minerva, postquam Ithacam nebulis velavit, Ulixem, quocum adulescentis ingenui forma induta congreditur, de reditu certiorem facit. Tum in mulierem grandem et operosam commutata, ubi nebulas removit, cum illo Phaeacum dona in antro condit, res Ithacenses communicat, consilium de procis interficiendis init.

14. ο 1—43. Minerva Telemachum, cuius ad lectum aliena forma non induta accedit, a Menelao in patriam reverti jubet.

15. π 155—177. Minerva operosae mulieris forma induta absente Eumaeo Ulixem, cui pristinam speciem reddit, a filio cognitum facit; deinde eum rursus in hominem mendicum commutat.

16. σ 190—197. Minerva aliena forma non induta Penelopen dormientem, quae in publicum processura est, comit et exornat.

17. υ 30—55. Minerva mulieris operosae forma induta noctu ante procorum caedem Ulixi animum addit soporemque inicit.

18. χ 205—240. Minerva, quae Mentoris forma induta inter procorum caedem apparet, ut auxilium ferat, postquam Ulixi animum addidit, tamquam hirundo in fastigii trabe considit.

19. ω 472—546. Minerva, postquam consilium cum Jove iniit, Mentoris forma induta Ulixem et socios, quibus auxilio venit, cum Ithacensibus foedere coniungit.

§ 3.

Istas igitur, quas modo breviter enarravimus, epiphanias ad Odysseae compositionem cognoscendam ita adhibere propositum est, ut efficiamus, quibus temporibus singulae conceptae h e. utrum inter priscas an recentiores Odysseae partes numerandae sint. Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, certas judicandi notas oportet invenire, e quibus, quae diversarum aetatum propria sint, consequamur. Quod ad conficiendum optimum videtur factu, ut duas epiphanias, quas temporis spatio seiunctas esse constat, de rebus divinis inter se comparemus. Offendimus eiusmodi locos in libris α et β γ, quos satis magno temporis spatio seiunctos esse Kirchhoff luculentissime[1]) demonstravit (Die homerische Odyssee, Berlin 1879² pg. 238—274), Wilamovitz autem (Homer. Unters. Berlin 1884 pg. 7 sq.) et Ellendt (Sammlung der Parallelstellen zum ersten Buch der Odyssee. Progr. Königsberg 1871), ut alios viros doctos praetereamus, ipsorum studiis comprobaverunt.

§ 4.

Nostra vero quaerere interest, num istis in epiphaniis longo temporis intervallo seiunctis diversae aetatis poetae de ratione, qua deos agentes et cum hominibus colloquentes faciant, inter se differant.

Similia quidem haud pauca fore ut inveniantur ex eo, quod, ut Kirchhoff (l. l.) ostendit, alter locus alteri imitationi

[1]) „Mit einer in solchen Dingen selten erreichbaren Ueberzeugungskraft", ut ait Bonitz, Ueber den Ursprung der homerischen Gedichte. Wien 1881⁵ pg. 92.

fuit, facile conicimus. Neque opinio nos fallit. Est enim communis et dea, quae hominum rebus se admiscet, et adulescens, quocum commercium facit. Praeterea formae, quas induit, inter se simillimae sunt; namque Mentes ac Mentor et eodem nomine, ut Wilamovitz docet (pg. 6 cfr. J. Becker. Hom. Bl. pg. 105. 108, Koechly opusc. I pg. 76, quorum ad exempla addas Laodocum et Laodicen Δ 87 et Γ 124), et eadem aetate, cum Mentes hospes Laertis (α 187), Mentor Nestoris aequalis (γ 49, 362) appelletur, et eisdem moribus, qui quodammodo magistrum resipiunt, utuntur. Inter colloquendum uterque satis copiose de Telemachi ingenuitate verba facit, Mentes quidem non sine offensione, cum videatur dubitare, num Telemachus ex Ulixe ortus sit,[2]) Mentor autem optimo jure, cum patris memoria juvenis animum confirmet (β 270 sq.). Commercii finem cum faciunt, eandem causam interponunt, navem sibi esse conscendendam (α 303. γ 343). Eodem modo, quamquam et a Telemacho et a Nestore retinentur, mortales derelinquunt, cum a sociis sese exspectari simulent (α 304. γ 361); eadem mirabili cum celeritate, qua aves, non homines uti solent, discedunt (α 320. γ 371), nempe ea de causa, ut hominibus veram naturam ostendant (cfr. schol. T ad N 65, B T ad Ω 460; E ad γ 366 cfr. B T ad Ξ 147, V ad ν 288). Denique Minerva in utraque epiphania homines divina natura cognita attonitos relinquit (α 323. γ 372).

Similitudines igitur satis multis locis inter epiphanias α et β γ intercedunt, quas quidem non sine aliqua haesitatione enumeramus. Nam id, quod librorum β γ non solum singuli versus sed etiam res divinae libro α imitationi fuerunt, metum nobis inicit, ut omnino certas judicandi notas — quae ex differentiis maximam partem evadunt — inveniamus.

Atque re vera non multa sunt, quae differunt. Primum

---

[2]) Quae Telemachus respondet (α 215 sq. cfr. δ 387) Xenophanes in mente videtur habuisse, cum se viginti quinque annos natum diceret, siquidem ipse ista de re recte posset judicare (Diog. La. IX. 19. 3.).

Minerva, ut Telemachum adjuvet, in utroque loco non eadem via ac ratione utitur. Namque in libro α solum, quid sit faciendum, suadet, in libris β γ autem non modo verbis, sed re auxilium fert, cum a Noemone navem exposcit, socios eligit, iter quam maxime accelerat. Haec vero differentia, quae magis in utriusque loci argumentis quam in rerum divinarum natura posita est, ad nostram quaestionem diiudicandam nihil videtur valere. Praeterea poeta in libris β γ Minervam diligentissime e proposito agentem facit, cum nihil supervacanei addat, nihil, quod cum Telemachi expeditione non cohaereat. At in libro α permulta enarrantur, quae ad Minervae consilium omnino non pertinent, veluti quomodo Minerva, Telemachus, proci epulentur, quomodo proci in Ulixis regia se gerant, satis verbose describitur, atque de Telemachi ingenuitate non minus septendecim versibus satis, ut videtur, superfluis (α 206—223) agitur. Huc accedit, quod Mentes ipse de rebus, quae ad eius consilium non pertinent, velut de ipsius persona et origine (α 179 sq.), de rebus ab Ulixe ante bellum Trojanum gestis (α 253 sq.), multa verba facit. Sed haec omnia, quae quidem ex aliqua parte cum divina natura videntur discrepare, inter judicandi notas referendà tuo jure non putaveris, cum in dubio relinquatur, utrum hic noster ut recentioris aetatis poeta ipsius indole usus an loci natura coactus ista peccaverit. Plures vero differentias, quantum Minervae cum hominibus commercium attinet, inter epiphanias α et β γ in praesenti invenire nequimus.

Quae cum ita sint, e versibus α 96—323 et β 260—γ 373 comparatis ad diversarum aetatum res divinas cognoscendas et disiungendas nihil effecimus, nimirum ea maxime de causa, quod, qui librum α conscripsit, satis accurate libros β γ imitatus est. Sed isto conatu frustra capto non perterriti rem denuo experiamur, cum alium locum, qui idem recentioribus temporibus conceptus Minervae epiphaniam contineat, verum in rebus ipsis cum β γ libris non consentiat, cum illis conferamus. Quod si fecerimus, fortasse recentioris aetatis indole accuratius perspecta animoque ad eiusmodi res cognoscendas magis exacuto etiam

in α libro nonnulla recentioris aetatis vestigia, quae nos adhuc fugerunt, indagabimus.

§ 5.

Hic vero epiphania ω 472—548 maxime idonea est, quae in nostrum usum convertatur. Nam cum Odysseae extrema parte contineatur, quam post reliquum carmen conceptam esse omnes fere ad unum consentiunt, certe recentioribus temporibus composita est. Dubitaverunt autem de hac Odysseae parte primi Aristophanes et Aristarchus, '*οἱ χορυφαῖοι τῶν τότε γραμματικῶν*', ut ait Eustathius (pg. 1948 ed. Rom.), qui versu ψ 296 Odysseam concludi jusserunt (schol. ψ 296). Secutus est huius saeculi initio Spohn dissertatione quae vulgo laudatur titulo „de extrema Odysseae parte" (Lips. 1815). Qui cum argumenta, ut ipse praefatur (pg. 10), „e rationibus sensus decori et convenientis ita peteret, ut, quid cecinisset auctor, atque modum, quo cecinisset, examinaret, deinde e rationibus archaeologicis, mythologicis, historicis, geographicis; denique omnem omnino dictionem et orationis colorem singulaque verba consideraret", Odysseae versus ψ 297 — ω 546 recentissimo aevo coortos esse adeo comprobavit, ut, qui postea hac de re scripserunt, velut Kammer (Die Einheit der Odyssee etc. Leipz. 1873 pg. 751 sq.), Liesegang (de extr. Odysseae parte, Bielefeld 1855), Niese (Die Entwicklung d. hom. Poesie, Berl. 1882 pg. 143), Wilamovitz (pg. 67 sq.), Kirchhoff (pg. 532 sq.), ei plane adsentirent. Nos vero, quamquam supervacaneum ducimus, omnem argumentationem saepissime deliberatam repetere, tamen e doctorum virorum commentariis ea argumenta congeramus, quibus demonstratur, et vs. ψ 297—ω 548 post libros β γ et vs. ω 472—548, ubi Minerva apparet, multis offensionibus repletos recentioribus temporibus conceptos esse.

Illud quidem inde manifestum fit, quod Mentoris species, quam Minerva induit, e libris β γ recepta, atque Halithersis oratio (ω 450—63) ex eis, quae et ipse et Mentor in libro β loquuntur (Kirchh. 536) coorta est. Acce-

dunt versus iterati ω 27 ex γ 222, ω 51 cfr. β 188 (η 157), ω 385 ex γ 389, ω 393 cfr. β 39, ω 421 cfr. β 9, ω 425 ex β 24, ω 451–54 ex β 157—61, ω 460 cfr. β 238, ω 503 et 548 ex β 268 et 401.

Praeterea in versibus ω 472—548 permultae insunt offensiones quibus docemur eum, qui hos versus composuit, vix sibi ipsi, quas res enarraret, animo finxisse; veluti vs. ω 490 non liquet, unde Ulixes Ithacenses adpropinquare compertum habeat, neque quomodo Dolii filius cognoverit, quosnam homines ille verbis 'σχεδοὶ ὦσι κίοντες' (491) significarit. Adde, quod Ulixes, cum Minervam Mentoris specie adpropinquantem videt, valde gavisus — Telemachum admonet, ut patrum genere se dignum praestet (506 sq.); Laertes quoque sine ulla ratione profecto se gaudere profitetur atque, quamquam et Jovem et Minervam precibus compellare jussus est, solam Minervam appellat (521). Minerva ipsa, quae pacem factura in terram devolavit, bellum suadet, et paullo post Ithacenses, qui nondum pugnare coeperunt, de bello desistere jubet. Denique Jovis fulmen, quo Ulixes coërceatur, Minervam praestringit.

Ista vero omnia poeta versibus ac verbis undique collectis ita expressit, ut centonem, qui vocatur, non carmen videatur composuisse. Qua in re poetam recentissimae aetatis vel ex eo cognoscis, quod versus ex omnibus fere Iliadis et Odysseae partibus corripuit.

Deinde poeta non raro ab Homerico dicendi usu recessit, cum verba frequenti usu constituta variaret velut 'αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδήτυος ἐξ ἔρον ἔντο' commutavit in 'οἱ δ' ἐπεὶ οὖν σίτοιο μελίφρονος ἐξ ἔρον ἔντο' (489), quo versu hymnum Apollinis (499) videtur imitatus esse, praesertim cum etiam vs. 60 (hymn. Ap. 189) et 402 (hymn. Ap. 466) in eodem hymno, vs. 529 similiter in Hesiodi Scuto (444) inveniatur. Neque cum Homeri genere dicendi consentit, quod verbo abstracto 'ἔκλησιν θέωμεν' utitur (485); item dissentit vox γραπτῦς (229) plurali numero usurpata („substantiva in υς, quae a grammaticis abstracta verbalia vocantur, ab Homero singulari tantum numero usurpantur" Volkmann, commentationes epicae, Lips. 1854

pg. 130), vox '*κλισίον*' pro '*κλισίη*' posita (*ω* 208 cfr. Spohn pg. 145), vox '*πολυκέρδεια*', qua significatur magna astutia (*ω* 167); „substantivum ita formatum ex omni hac stirpe hoc loco excepto primum, quod sciam, legitur apud Pindarum Ol. I. 84 (I. 53 ed. Schn.)" Spohn pg. 163, cui adsentit Volkmann pg. 131), vox '*ἄνοστος*', qua significatur „expers reditus" (*ω* 527; „Homero frequentia sunt adjectiva *νόστιμος* et *ἀνόστιμος*" Volkm. pg 141), vox '*ἐπιχειρέω*' pro '*χεῖρας ἐπιβάλλειν*' (*ω* 386, 395; „vocabula a *χειρ* derivata apud Homerum non legi recte Spohnius observavit pg. 179" Volkm. pg. 143). Accedit, quod formula '*ὄρκια τάμνειν*' (*ω* 483) praeter hunc locum et vs. B 124 ab Alexandrinis eiectum (cfr. schol. A) semper in fine versuum posita est (J. la Roche, Der Akkusativ im Homer, Wien 1861 pg. 36), quod forma '*θέωμεν*' (*ω* 485) solo in hoc loco invenitur (cfr. Stier, Bildung d. Konjunktivs bei Homer. Curt. Stud. 2 pg. 135), quod accusativus '*ὄπα*' e verbi notione falso ad '*φωνησάσης*' apponitur, nempe propter versus B 182 K 512 male intellectos (*ξυνέηκε θεᾶς ὄπα φωνησάσης*), ubi '*ὄπα*' a '*ξυνέηκε*' pendet (La Roche, Acc. pg. 95.). Denique voces '*πολεμιστής*' (499), '*ἠνορέη*' (509) '*ἀναπάλλω*' (519, 522) '*ἄραβος*' (525) non nisi in Iliade leguntur. — Sed quid opus est plura? — Ex omnibus istis argumentis apparet, ut vs. *ω* 472—548, qui ineptiis abundant, post reliquos Iliadis et Odysseae libros, e quibus plurimi versus recepti sunt, verbis, quae interdum ab Homerico dicendi usu plane abhorrent, compositi sint. Nunc vero etiam hujus partis res divinas cum epiphaniis *α* et *β γ* conferamus.

§ 6.

Epiphaniae *ω* argumentum hoc est: Minerva a Jove contione deorum in angustum contracta impulsa (472 – 87) ex Olympo Ithacam devolat, ubi Ulixem cum Ithacensibus proelio decertaturum offendit. Cui postquam animum ita inflavit (517 – 20), ut una cum filio permultos hostes occideret (526—28), Ithacenses alta voce de bello desistere

jubet, qua perterriti omnes urbem versus confugiunt. Denique Jovis fulmine commonefacta Ulixem ab illorum persecutione revocat (537—45) foedusque inter utrasque partes icit (546—48).

De rebus divinis haec commemoratione digna sunt: Minerva in omnibus, quas adhuc perspeximus, epiphaniis (α, β γ, ω) et eadem specie induta apparet et ab hominibus cognoscitur. Hac autem de re inter singulos locos aliquid differentiae intercedit. Namque in libro γ, qui libro α imitationi est, Minerva, cum mira cum celeritate a mortalibus secedit, ipsa, ut agnoscatur, efficit; hoc vero non sine certa causa instituit, cum in libro α Telemachi animum confirmare, in libro γ eundem Nestori Pyliisque commendare propositum habeat. At in libro ω non ipsa divinam naturam ostendit, sed, simulatque accedit, tamquam invita ab Ulixe agnoscitur, quo fit, ut commutationem suam quadam ex parte vanam atque irritam reddat. Huc accedit, quod non certa causa permota videtur, ut statim, ubi advenit, veram naturam patefaciat; neque enim legimus Ulixi eiusque sociis deae praesentia animos addi, et Ithacenses tum demum deam adgnoscunt, cum voce eius deterrentur (533 sq.). Praeterea non sine offensione videmus solum Ulixem, non Telemachum, deam cognovisse. Minerva enim, quotienscumque cum Ulixe cognita collocuta erat, — versibus χ 205 - 240, de quibus infra verba faciemus, exceptis — semper speciem operosae mulieris induerat. Telemachus vero Mentoris specie indutam deam, cuius veram naturam postea cognovit, inter socios habuit, cum ad Nestorem navi veheretur. Itaque poeta cum non Telemachum, verum Ulixem deam statim cognoscentem faceret, quaerere neglexit, quidnam uterque de rebus divinis compertum haberet. Videtur autem Nestoris formam ideo usurpasse, quod maxime idonea erat, qua dea inter proeliantes sese misceret. Verum plane alia de causa ille, qui libros β γ composuit, Minervam Mentoris speciem induentem fecisse putandus est, nisi forte eum, qui totam epiphaniam β γ summa cum arte et diligentia (cfr. Kirchh. pg. 258 sq.) enarravit, hac in re temere egisse existimamus. Nam cum Minerva id spectaret, ut

Telemachi animum confirmaret, opus erat formam induere, qua et fidem eius sibi conciliaret, et praeceptoris munere apte fungeretur; quorum illud consecuta est, cum in patrium amicum, hoc, cum in senem benevolum ac prudentem sese commutaret.

Eadem vero forma effecit, ut de Minervae divina auctoritate, quamquam inter homines versabatur, non detraheretur. Etenim Mentor, ut est senex, ab omnibus velut a Telemacho et a Nestore (cfr. β 387. 392. 399 sq. 416, γ 49. 50. 230 sq. 330 sq. cfr. 337) summo in honore habetur. Deam autem id studere, ut hominibus reverentiae sit, ex eo intellegis, quod semper cum Telemacho veluti grandaevus vir cum adulescente colloquitur (cfr. imprimis γ 230—238), quod, quamquam in hospitium invitata neque apud Telemachum (α 315 sq., e γ 360 sq. rccept.) neque apud Nestorem devertit (γ 360), nedum dona accipiat (α 316 sq.), quae quidem in prisci poetae epiphania β γ, ut fas est, non offeruntur. Atque revera ab hominibus, quamquam divina natura non perspecta, summa cum reverentia excipitur (α 113. 119 sq. 125 sq.), cum verecundia, quae dicit, audiuntur (α 158. γ 240), quae imperat, nullo verbo intermisso perficiuntur (β 296. 406). Tum vero, cum discessus celeritate veram naturam ostendit, omnes divinum numen magna cum admiratione venerantur (α 323. γ 372 sq.).

Haec autem omnia, qui librum ω conscripsit, prorsus conturbavit, cum deorum verecundiam non moraretur. Neque enim Ulixes, quem deam cognoscere legimus (504), neque quisquam ex eius sociis, ubi divinam naturam perspexerunt, Minervam blandis aut religiosis verbis salutant. Immo rationem eius ita non habent, ut, cum Ulixes filium ad pugnandum adhortetur, cum Laertes se gaudere profiteatur, quod una cum filio et nepote sibi pugnandum sit, ne verbo quidem deae mentionem faciant. Atque ne Ithacenses quidem, quos 'χλωρὸν δέος εἶλε' (533) θάμβος illud, quo Telemachus et Pylii (α 323. γ 372 sq.) divinum numen venerantur, sensisse putandi sunt. Quid enim illorum horror formidoque ad pietatem aut religionem?

Hic vero aliquantum ad librum *α* respicere liceat. Namque eadem ratione, qua in epiphania *ω*, etiam in libro *α* de divina auctoritate detractum videtur, quod quidem sensu magis intellegitur, quam ad certos versus revocatur. Tota enim res ex eo pendet, quod, si versus *α* 96—320 accuratius perlegeris, senties poetam, ut eum, qui librum *ω* concepit, Minervae primas partes non obtulisse, sed legentium animos aequis partibus in Minervam et in procos et in Telemachum et in res Ithacenses intendisse. Quod quidem, ut satis incertum et indefinitum, ad lucem proferre non auderem, nisi haberem, quo sententiam meam confirmarem. Namque hunc nostrum in Mente expingendo divinam eius naturam non magni momenti fecisse e versiculo '*ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθηνᾶ*' (125) apparet, qui mihi quidem sescentorum argumentorum instar est: nam cum semper dei praecedant hominibus (cfr. *β* 405 *γ* 29 *η*37, vel de Calypsone *ε* 192), solo in hoc loco poeta, qui in universum libros *β γ* haud male imitatus est, quasi invitus ostendit, sese deam primas partes tenentem non facere. Sed ad libros *β γ* et *ω* comparandos redeamus.

Postquam poetam (*β γ*) consulto Minervam Mentoris formam induentem fecisse supra cognovimus, nascitur quaestio, num item certa de causa factum sit, ut Minerva omnino commutata, h. e. incognita inter mortales versetur. Argumento quidem fabulae poeta non videtur commotus esse, quia Minerva, si a principio veram naturam ostendisset, certe eodem modo ne dicam melius Telemachi animum confirmasset iterque accelerasset. Ad ipsius igitur poetae sensum atque voluntatem referendum est, quod dea commutata specie incognita cum hominibus commercium facit, duplicique ex fonte, ut opinor, ex religione et ex arte derivandum. Cum religione fortassis non videbatur consentire deam per satis longum temporis spatium inter homines, qui divinam eius naturam compertam habebant, degere; qua in re hunc poetam idem sensisse putaverim atque eum, qui Semelen Jovis non commutati aspectu interemptam finxit, homines sanctum deorum aspectum commutatione non temperatum et mitigatum sustinere non posse.

Quod ad depingendi artem attinet, hoc impediebat quominus deam non commutatam cum hominibus colloquentem faceret, quod is, qui omnia aperte, dilucide, naturae convenienter enarrabat, certe non minorem neque curam neque diligentiam ad deam depingendam adhibebat. Sed quomodo deam, quam ipse nunquam conspexerat, describeret, nisi hominum forma et habitu indutam? Quomodo homines cum deis cognitis colloquentes faceret, cum et pietatis et artis praecepta essent respicienda? Accedit autem, quod Graeci semper ambiguitate quadam et occultatione mirum quantum delectabantur, quam praecipue ad tragoediam exornandam adhibebant, ironiam dico tragicam, qua eorum, qui agebant, verbis ambiguam vim subiciebant. Ista vero cum ambiguitate videtur quodammodo cohaerere, quod dei commutati ita apparent, ut homines, cum mortalibus sibi rem esse rati cum immortalibus colloquantur. Quid multa? — ingeniosissime poeta rem instruxit e rationibus et artis et religionis, cum deam humana forma indutam depingeret, ingeniosissime divino auxilio vim et auctoritatem addidit, cum deam discessu veram naturam ostentantem hominesque numine attonitos relinquentem faceret. At is, qui librum ω conscripsit, cum Minervam quamvis commutatam tamen cum hominibus statim cognitam colloquentem faceret, etiam hac in re neque artis neque religionis praecepta servavit.

Causam si respicimus, cur Minerva ex Olympo devolaverit, non offendimur, quia, quod pacem inter Ulixem et Ithacenses constituere propositum habet, idem valet atque quod Telemacho consilia dat aut in itinere comparando auxilio venit. Sed de ratione atque via, qua proposita exsequitur, denuo gravissimas in offensiones incurrimus. Namque Minerva, quo melius in libris β γ omnia, quae molitur, ad propositum refert, eo ineptius in libro ω ipsius consilia perrumpit. Etenim ea ipsa, quae Ulixem Ithacensibus reconciliare studet, Laerti mirum quantum inflammato, ut hasta proiecta bellum incipiat, suadet. Postea cum Ulixes et filius furibundi contra Ithacenses saeviunt, proelium componere jubet voce tam terribili, ut illi diffusi urbem versus confugiant. Neque prius divina sua auctoritate

bellum componit, quam Jovis fulmine monita est, ut Ulixes ab hostium persecutione resisteret. Brevi praecidam: Minerva tam dementem et inertem sese praebet, ut non sine admiratione quadam legamus, eam nihilosecius utrasque partes foedere coniunxisse, quod quidem, quando aut quomodo factum sit, non liquet. Ex omnibus autem istis ineptiis intellegimus poetam animo sibi non finxisse deis id saltem tribuendum esse, ut, quae vellent, via ac ratione perficerent. Haec ex libro ω cognovimus; eadem vero ad epiphaniam α referri possunt. Namque quod Minerva Telemachum ineptis consiliis adjuvat etiam ad res divinas judicandas non nihil valet, cum eum, qui librum α conscripsit, aeque atque in libro ω fit, non curasse videamus, utrum dea proposita via ac ratione exsequatur necne.

Denique mentionem faciamus rei, quae, quamquam primum inspicienti satis levidensis videtur, tamen ad res divinas cognoscendas satis magni momenti est. Nam cum in libris β γ, qui libro α imitationi sunt, Minerva rebus hominum intercessura ex Olympo devolet, confecta re recedat, in libro ω deam e terra discessisse non commemoratur. Qua re in cogitationem inducimur poetam adeo deorum praesentia assuetum esse, ut Minervam in Olympo, non in terra domicilium habere animo sibi non fingat („Als müsse der ganze Olymp unablässig um Odysseus Haus beschäftigt sein", Bonitz, pg. 33), vel, si hoc magis placet, poetam divinam naturam adeo neglegere, ut unde veniat, cujus rei infra exempla inveniemus, vel quo abeat, distinctis verbis commemorare supervacaneum censeat.

§ 7.

Satis multae igitur et graves differentiae intercedunt inter epiphanias β γ et ω. Id solum commune est, quod Minerva commutata forma justaque de causa hominum rebus se admiscet. Reliqua vero hunc in modum discrepant, ut in priscae aetatis libris dea incognita inter mortales versetur, non, nisi cum discedit, divinam naturam ostendat, ratione ac via, quae sibi proposuit, perficiat, hominibus, quibuscum

ipsa non sine gravitate colloquitur, venerationi ac reverentiae sit, ad Olympum, unde devolavit, redeat. In recentioris autem aetatis loco (ω) statim agnoscitur, cognita inter homines commoratur, quae sibi proposuit, inepte ac perverse conficit, hominibus, quibuscum familiaritate quadam conjungitur, venerationi ac reverentiae non est, e terra non discedit.

Nunc vero, cum eo, unde profecti sumus, redeamus (cfr. pg. 10), ea, quae libris β γ et ω comparatis in rerum divinarum notitia et cognitione profecimus, ad epiphaniam α iterum recensendam adhibeamus, ecquid plura, quam supra nobis contigit (pg. 9 sq.), recentioris aetatis vestigia inveniamus. Hac in re primum commemoratione dignum videtur, quod praeter ineptias supra exhibitas occurrunt, quae non minus perverse quam in libro ω enarrantur, ut praecipue Düntzer in libris, qui inscribuntur „Homerische Abhandlungen" (Lpz. 1872) et „Kirchhoff, Köchly und die Odyssee" (Köln 1872) docuit. Quas cum omnes enumerare longum sit, nonnullas saltem afferam: proci eodem tempore ludis delectantur et coenantur, quo servi tabulas ad coenam comparant (α 106—112); Telemachus non Mentorem procul a procis considere jubet, sed ipse (vs. 132) prope Mentorem procul a procis considit, quae res, perversissime relata plurimis interpretibus offensioni fuit. Praeterea singulos versus ac verba animadvertas, velut versum α 222, quem plane singularem esse Ellendt adnotat (pg. 14), et vocem ἐποίχεσθαι, quae solo in versu α 143 cum dativo, alias semper cum accusativo coniungitur (cfr. La Roche, homer. Acc. pg. 116). Sed haec hactenus.

De rebus divinis, quod Minerva justa de causa auxilium fert, quod in terram devolat, unde re confecta recedit, quod commutata apparet, quod incognita inter mortales versata discedens demum adgnoscitur, quod cum Telemacho comi quadam cum gravitate colloquitur, et ab illo invicem cum pietate colitur, quod in universum ea, qua par est, auctoritate fruitur: ista omnia cum epiphania β γ consentiunt. Sed quod supra, ut cognosceremus, non contigit, nunc quidem, cum res divinas melius discernamus et perspiciamus, facile apparet, id dico,

quod poeta, quamquam in universum librorum β γ argumentum et sonum satis accurate imitatus est, tamen in omnibus fere, quas modo enumeravimus, judicandi notis ostendit, sese non priscis temporibus ipsum fuisse, verum priscae aetatis carmen imitatum esse. Nonnulla quidem supra, cum epiphaniam ω tractaremus, quasi praetereuntes offendimus; etenim cognovimus recentiorum temporum proprium esse deos perverse agentes facere (pg. 17) aut in primo loco non collocare (pg. 15).

Accedit autem alia res et ea gravissimi momenti: In epiphania β γ Minerva diligentissime cavet, ne agnoscatur, neque quidquam aut facit aut loquitur, quo quis divinam naturam perspiciat. Item, qui librum α composuit, operam navavit, ne deae vera natura manifesta appareret; itaque postquam accurate descripsit, quomodo una cum Telemacho epulata sit, Minervam ut hominem mortalem de Ulixis reditu dubitantem facit (267 sq., 287 sq.). Sed in ineptias incurrit, quoniam dea haud ita multo ante (200—205) magna cum gravitate vaticinata est Ulixem rediturum esse. Vs. 225 sq. Minervam ut hominem mortalem facit quaerentem, quinam sint, qui ludis dapibusque delectentur, atque quemnam diem festum agant. Sed in ineptias iterum incurrit, quoniam haud ita multo ante a Telemacho his de rebus certior est facta (vs. 158 sq.). Vs. 187—212 Minervam ut hospitem, qui per longum temporis spatium absens fuit, facit interrogantem, num Telemachus re vera Ulixis filius sit. Sed in ineptias tertium incurrit, quoniam antea adversus eum de avi hospitio et patris reditu ita locuta est, ut de eius ingenuitate omnino non videretur dubitare. Quid igitur? — An putamus illas ineptias poetam commisisse, qui, quae ipse animo sibi excogitavit, cum aliorum carminum rationem non haberet, versibus inclusit? Age memoria repetas, quod hic ipse poeta versus quam plurimos ex omnibus fere Odysseae partibus recepit, quod epiphaniam β γ saepissime et accuratissime imitatus est. Nonne videtur verisimillimum eum vel hac de re libros β γ secutum esse? — Mihi quidem constat hunc poetam, cum in epiphania β γ Minervam veram naturam celantem videret, intellexisse etiam hac in

re illam epiphaniam imitationi sibi esse debere; verum cum illius poetae mentem assequi non posset, in istas, quas supra exhibuimus, ineptias incurrit.

In universum autem eo, quod librum *α* iterum perlustravimus, quamquam argumentorum recentioris aetatis largam messem non fecimus, tamen et cognovimus, etiam rebus divinis, interdum non recte tractatis, recentiora tempora comprobari, et intelleximus, quomodo factum sit, ut hic poeta de rebus divinis magis cum prisca quam cum recentiore aetate consentiat.

§ 8.

Iam vero postquam illos diversae aetatis locos, quos ad prima harum disquisitionum initia ponenda comparavimus, non raro inter se dissentire cognovimus, exsistit quaestio, num eae, quas deprehendimus, differentiae ad universas et Iliadis et Odysseae res divinas dijudicandas sufficiant. Non enim sunt numerosae, si variam epiphaniarum naturam et indolem respicis, ubi dei modo commutati, modo non commutati apparent, diversissimis formis induti rebus se admiscent. — Nos vero adhuc sola de una dea et ea commutata, de una quam induit forma verba fecimus; deliberavimus utrum deam cognitam an incognitam inter mortales versari deceret; de comi gravitate, qua colloquitur, de pietate, qua colitur, de via ac ratione, qua proposita exsequitur, egimus; sed quis est, qui neget fore, ut in permagno locorum numero non pauca occurrant, quae in locis adhuc tractatis non inveniuntur. Apparet igitur, singula, quae adhuc conquisivimus, argumenta non nisi frustula esse, quae occasione data ad singulas epiphanias aestimandas adhibere licet. Verum ad universas res divinas judicandas conquirere oportet, quod non solum argumentis cujusque aetatis modo repertis commune sit, sed etiam omnia tamquam radios in se colligat et contineat, quae de rebus divinis apud Homerum leguntur; ut aliis verbis utar, rationem quaerere opus est, qua fit, ut ex argumentorum copia altera pars priscae, altera recentioris

aetatis propria sit. Nunc vero omnibus recentiorum temporum argumentis, quae adhuc invenimus, commune est, quod cum deorum contemptione quadam et neglegentia conjunguntur, cum dei priscae epiphaniae cum religione ac pietate depingantur. Manifestum autem est, quaecumque de rebus divinis commemorantur, eo certe referri posse, utrum singuli poetae deos cum pietate an cum neglegentia tractaverint. Itaque optimo jure constituimus ad singulas aetates discernendas praecipuam ne dicam unicam judicandi notam in poetarum pietate aut neglegentia ita positam esse, ut priscis illam, hanc recentioribus tribuamus.

Verum dicat quispiam casu factum esse, ut ea, quae de librorum α, β γ, ω rebus divinis effecimus, e ratione pietatis aut neglegentiae discerni possint, et suo jure quaerat, num cum rerum natura consentiat, quod in priscis epiphaniis dei coluntur, in recentioribus negleguntur vel despiciuntur. Haec autem digna sunt, quibus copiosius respondeatur.

Positum est in humana natura et omnium gentium et temporum memoria traditur, homines de deorum cultu ad neglegentiam vel contemptionem delapsos esse, non a contemptione deorum ad pietatem processisse. Quod si complures locos inspiciamus, alteros, ubi dei summa cum veneratione depinguntur, alteros, ubi negleguntur aut despiciuntur, facile in cogitationem incidimus illos ante hos conceptos esse. At tamen est, quod obstat, quominus sola e religione vel pietate de Homeri epiphaniarum aetate judicium faciamus. Namque, ut eos locos silentio praetereamus, quibus priscae partes imitationi fuerunt, primum, si de religione agitur, singulorum poetarum variam indolem et sentiendi rationem respicere oportet. Verisimile enim est etiam recentioribus temporibus, plerisque a deorum cultu ad neglegentiam delapsis, nonnullos priscam pietatem sibi conservasse; quodsi animo nobis fingamus utriusque generis poetas eadem aetate carmina composuisse, nos, qui de illis poetis nil nisi versus, quos conceperunt, compertum habemus, si solam religionem in judicium vocamus, facere non

possumus, quin alterum priscae, alterum recentiori aetati tribuamus, quod quidem cum rebus ipsis plane dissentit.

Praeterea si Graeci eis temporibus, ubi carmina Homerica componebantur, a deorum cultu ad neglegentiam et contemptionem se convertissent, Iliadis, quae maximam partem ante Odysseam concepta est, epiphaniae plerumque cum pietate expictae essent, nusquam ad tantam impietatem abissent, quantam in Odysseae extremis libris invenimus; ex altera autem parte rerum natura ferret, ut poetae, qui post Homerum fuerunt, veluti Pindarus, Aeschylus, Sophocles, deos priscos prorsus neglexissent. Sed utrumque in contrarium accidit: plerique enim, qui post Homerum usque ad sophistarum tempora carmina composuerunt, velut ei, quos modo laudavimus, deos, ut ex ipsorum verbis pro certo scimus, summa cum pietate coluerunt; in Iliade vero etiam in eis partibus, quae ante Odysseam compositae sunt, saepissime deos neglectos et epiphanias satis impie descriptas deprehendimus. Quae cum ita sint, ea, quae e religione de singulorum locorum aetatibus efficiuntur, tam incerta videntur fluctuare, ut eiusmodi judicandi notam ad Homeri compositionem cognoscendam adhibere vix possimus.

Quin etiam quae modo de Homeri rebus divinis cognovimus, adeo cum sentiendi rationis natura dissentiunt, ut gravissima oriatur dubitatio, num omnino religioni sit tribuendum, si deos cum impietate et neglegentia descriptos videmus. Et haec dubitatio mirum quantum eo comprobatur, quod omnibus in locis, ubi dei non cum pietate depinguntur, poetae etiam aliis de rebus satis inertes et neglegentes se praebent: nova sibi excogitant, quae, cum in ipsius fabulae argumento non posita sint, extrinsecus adduntur; ea, quae sibi componenda proposuerunt, ad finem recte perducere nequeunt, cum et homines et deos tam perverse se gerentes faciunt, ut saepenumero miremur, quod propositum nihilominus assecuti sunt. De moribus vero atque indole eorum, quos agentes faciunt, eiusmodi poetae

non laborant. Denique in verbis ipsis artem eos deficere saepissime cognoscimus: saepenumero, quae priore hemistichio scripserunt, posteriore aliis verbis repetunt, non quo majoris momenti rem premant aut luce circumfundant, sed quia heroici versus sex pedes verbis complendi sunt; verba priscis temporibus usitata cum falsa significatione in ipsorum carmina recipiunt; versus iteratos, quibus quidem uti omnium Homericorum poetarum mos est, quam plurimos usurpant, qua in re saepius fit, ut, cum versus, qui aliis in locis bene collocantur, integros recipiant, ipsorum sententiarum compagem neglegant aut disturbent. Nunc vero verisimillimum est, cum hac inertia ac neglegentia artissime conjunctum esse, si poetae divinam naturam sine pietate depingunt. Quid enim interest, utrum poeta, qui omnino neglegenter versus componit, Ulixis mores an rerum naturam an pietatem et auctoritatem deorum neglegat? Intellegimus igitur magis ad artem poeticam quam ad religionem pertinere, si poetae divinam naturam non respiciunt. Nos vero, quid poetae re vera de deis senserint, solis ex eis locis cognoscimus, qui accurata cum diligentia expicti sunt; eis autem de epiphaniis, quae omnino neglegenter conceptae sunt, dijudicari non potest, quantum poetae inertiae, quantum eius impietati tribuendum sit.

Iam vero denuo quaerimus, num ex eo, quod poetas ars et ingenium magis magisque deficit, nostro jure de uniuscuiusque loci aetate ita judicium faciamus, ut locos bene expictos priscis, neglegenter descriptos recentioribus temporibus tribuamus. Hic autem primum animadvertas rerum naturam ferre, ut summa ars sensim et pedetentim collabatur, donec per majora aut minora temporum spatia in inertiam sese convertat. Idem in Graecorum arte dramatica ab Aeschylo usque ad Licymnium invenitur, in arte lyrica ab Alcaeo usque ad Critiam et Simmiam Rhodium, idem in omnium gentium omnibus artibus. Sed quid ego alias artes et gentes? — Rem ita se habere ex ipsa Graecorum epica poesi manifesto comprobatur. Est enim luce clarius a priscis Iliadis et Odysseae libris usque ad recen-

tiores[3]) utriusque carminis partes, inde ad cyclicos poetas, quantum de eis compertum habemus, inde ad Hesiodi et quae sub eius nomine feruntur carmina artem poeticam gradatim evanuisse. Sunt autem recentiores Iliadis et Odysseae versus maximam partem idcirco cum neglegentia et inertia concepti, quod poetis non, quidquid volebant, sponte versibus includere licebat, sed quod coacti erant, ut in ipsorum carmina, quae antea composita erant, reciperent aut, quae ipsi relaturi erant, rebus antea enarratis accommodarent. Quin etiam erant, qui id solum agebant, ut complurium poetarum carmina in unum conglutinarent, nunc plerumque redactores appellati. Illi vero, qui prisca carmina continuare propositum habebant, ut consentaneum est, non omnia, quae priscus poeta animo sibi excogitaverat, recte respiciebant, quo factum est, ut saepe non sine neglegentia versus videantur composuisse; interdum etiam prisci carminis aliquae partes variandae erant, qua re graves oriebantur offensiones, praesertim cum priscos versus quam plurimos retinere studerent. Denique neglegentia illa saepenumero ex imitatione partis cuiusdam priscae fabulae manavit, e versibus aliunde neque raro non recte receptis. Casu igitur non factum est, ut recentiorum temporum poetae satis inertes ac neglegentes videantur. Ad extremum autem, ne longus sim, mirum non est, quod isti poetae deis depingendis non nimium laborabant. Nam cum dei saepissime hominum rebus se admiscerent, ei, qui recentiore aetate carmina componebant, deorum commercio tamquam adsueti facile obliviscebantur deorum epiphaniis singulare quidquam atque divinum inesse.

In universum igitur demonstravisse nobis videmur, poetarum neglegentiam et inertiam recentioris aetatis pro-

---

[3]) „Die erweiternde Bearbeitung aber in die gegenwärtige Gestalt fällt in die Zeit der bereits eingetretenen Ermattung des griech. Epos, wo gehaltlose Breite der Erzählung, ausgeführt in der üblich gewordenen Form der Sprache und Rhythmen als Ersatz galt für die Frische und die Anschaulichkeit wahrer Dichtung.“ Bonitz, pg. 33 f.

priam esse, hanc vero neglegentiam in rebus divinis depingendis impietatis speciem praebere. Quae cum ita sint, optimo jure e ratione, qua deorum cum hominibus commercium depingitur, judicium de singularum epiphaniarum aetate facimus.

Caput II.

§ 9.

Postquam primo capite differentias, quae inter diversae aetatis epiphanias intercedunt, exaravimus, ad reliquos locos nos convertamus, ut quibus temporibus concepti sint, e rebus divinis efficiamus.

Gravissimi autem momenti est ad deorum cum hominibus commercium judicandum, utrum dei alienas formas induant necne. Si commutati se admiscent, quaeritur, quibusnam formis induti appareant. Itaque singulas epiphanias non ex librorum Odysseae ordine examinabimus, sed hunc in modum distribuemus, ut primum de locis, ubi dei formas induunt hominum nominatim appellatorum, verba faciamus; tum de locis, ubi dei formas induunt hominum, quorum nomina non appellantur, sed mores et corporis habitus describuntur; deinde locos tractabimus, ubi hominum, quorum species induunt, neque nomina neque habitus commemorantur, sed sola munera, quibus fungi solent, adnotantur; denique locos recensebimus, ubi dei omnino non commutata specie cum hominibus colloquuntur.

In singulis autem locis tractandis, ut supra cognovimus, animum et ad deos et ad homines intendere oportet. De deis animadvertas, utrum alienas formas induant necne; de commutatis, num cognoscantur; de cognitis, quo signo mortalibus divinam naturam ostendant. Tum consideres, quomodo cum hominibus colloquantur, utrum comi cum gravitate an familiariter agant. Tum de causa, qua permoti

homimum rebus se inmiscent, quaeras, utrum ratione ac via, quae sibi proposuerunt, conficiant, an inepte ac perverse se gerant. Denique videas, num deos in terram devolare et a mortalibus secedere commemoretur. De hominibus id unum animadvertas, utrum in deos pie ac reverenter an familiariter an neglegenter consulant.

§ 10.

Primos igitur eos locos perlustremus, ubi dei formas induunt hominum nominatim appellatorum i. e. vs. α 96—323, β 260—γ 373, χ 205—240, ω 472—548, ubi Minerva Mentoris (vel Mentis) forma induta apparet. Sed cum de librorum α, β γ, ω versibus in primo capite iam egerimus, solis de versibus χ 205—240 verba sunt facienda.

Vs. χ 205—240 Minerva Mentoris forma induta inter procorum caedem intercedit. Ab Ulixe, qui veram eius naturam perspicit, laetis verbis (208/9), a procis minis et conviciis (213 – 23) compellatur. Quibus auditis graviter irata cum Ulixem ignaviae arguit, sese ipsius fortitudinis specimen daturam profitetur (– –235); tum tamquam hirundo in fastigii trabe considit.

Hoc in loco nihil offensionem non movet, nisi quod Minerva certa de causa hominum rebus se admiscet; reliqua omnia inter recentiorum temporum argumenta numeranda sunt: Ulixes Minervam, quamvis commutatam, statim adgnoscit (210), neque, qua ex nota deam sibi adesse senserit, liquet, praesertim si respicias eum ante procorum caedem Minervam Mentoris forma indutam non aspexisse (cfr. pg. 14). Telemachus, ut in ω, quamquam Mentoris naturam in libris β γ satis accurate perspexit, tamen deae praesentiam sentire non videtur. Minerva ipsa, quae in libris β γ, antequam discederet, divinam naturam non ostendit, in χ libro, ne cognoscatur, non cavet, cum tamquam hirundo in fastigii trabe considat.

Hic vero, ubi similitudo quaedam inter libros γ et ω intercedit, perbene cognoscitur, quantum epiphaniae priscae

et recentiores differant: etenim illic dea avis formam non induit, sed celeritas, qua abit, cum avi comparatur,[4]) hic manifesto hirundinis specie induta in fastigio considit; illic certa de causa mira cum celeritate avolat, hic tantum abest, ut proci deae aspectu perterreantur, ut divinae naturae nihil sentiant (249); illic dea, simul veram naturam ostendit, discedit, hic per satis longum tempus inter mortales commoratur. Praeterea Minerva non ea cum gravitate, quae deam decet, cum Ulixe colloquitur, sed, postquam ad verborum contumelias descendit, eum voce 'πέπον' (233) familiariter affatur jubetque ipsius res gerendas admirari. Ista vero cum jactat, prorsus vaniloquam se praebet; namque quamquam, ut Ulixem adjuvet, rebus se admiscuit, tamen, ut poeta distinctis verbis addit (236), nil molitur, nisi quod in fastigio considit, quo fit, ut, qua ratione ac via auxilium attulerit, omnino non liqueat. Quin etiam, cum Ulixem increpat, ineptias garrit: negat enim illum sensu aut robore praeditum esse, quorum utrumque, qui sapit, ab eo neque in procis interficiendis neque aliis in rebus abjudicabit. Ex altera parte homines ipsi divinae naturae rationem non habent, cum proci Minervam conviciis obruant, Ulixes, et qui ab eius parte stant, deae, quae in fastigio sedet, praesentiam non respiciunt. In universum autem, si ad istas ineptias addis, quod Minervam de trabe devo-

---

[4]) Minervam in libro α in avem non commutari comprobatur particula ὡς (320), qua semper comparationes (cfr. B 764. N 62. T. 196. Ebeling s. v.), nunquam commutationes significantur (de voce ἀν' ὀπαῖα cfr. E. Wörner, in Curtius Studien VI pg. 347 sq.). Itaque, cum iste poeta epiphaniam β γ cum aliis in rebus, tum de ratione, qua Minerva discedit (cfr. pg. 9) imitatus sit, etiam in libro γ (372), ubi e verbis ipsis nihil efficitur, sola de comparatione videtur agi; certe quidem, qui librum α composuit, quo meliorem auctorem sequi non possumus, voce 'εἰδομένη' (γ 372) comparationem significari censuit. Verum in libro χ ideo de commutatione videtur agi, quod Minerva in fastigii trabe considit. Ceterum omnem hanc quaestionem, de qua inter viros doctos acerrimum discrimen coortum est, cum nonnulli hujusmodi commutationes plane infitientur, continuo pertractavit C. F. Platz (Die Götterverwandlungen, e. Frage d. hom. Theologie. Karlsruhe 1857).

lantem facere poeta obliviscitur, non negabis epiphaniam χ neglegentissime compositam recentioribus temporibus esse tribuendam.

Iam vero accidit, ut, quod supra demonstravimus recentiorum temporum poetas per neglegentiam de deorum auctoritate detrahere, versibus χ libri mirum quantum comprobetur. Eadem enim Minerva, quae, postquam satis inepte se gessit, hirundinis forma induta in trabe sedet, de fastigio aegidem sustinet, rostro, ut videtur, aut pedibus (297/98)[5]), quo accedit, quod excogitari nequit, quomodo dea immensa aegide (cfr. B 447, *P* 593 sq., *Φ* 400, *Ω* 20) in conclavi uti potuerit. Quis autem est, qui illa de inertia miretur, cum respiciat hanc epiphaniam e versibus particulisque undique correptis compositam esse, quae quidem, cum apud viros doctos congesta non inveniantur, enumerare liceat: χ 206 = β 268. 401, χ 207 ex ν 226, χ 209 ex γ 49, χ 211 cfr. φ 360, χ 215 cfr. π 117 + A 204, γ 226, χ 216 cfr. κ 293, ο 83, χ 217 cfr N 829, χ 219 cfr. γ 45 et saep. + γ 216 sim. (cfr. χ 218), χ 224 cfr. ϱ 458,

---

[5]) Nonnulli viri docti, velut Kirchhoff (pg. 529), Kammer (pg. 693), Wilamovitz (pg. 71) eum, qui epiphaniam χ inseruit, versibus χ 297/98 commotum esse non recte censent. Namque primum credibile non est poetam, qui deam in fastigii trabe consedisse non commemoravit, eam subito inde aegidem sustinentem depicturum esse. Tum vocibus *δὴ τότε* semper significatur, aliquid fieri, quod e rerum natura aut ex eis, quae supra narrata sunt, fieri exspectatur; cfr. *ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ . . . . δὴ τότε κοιμήθημεν* (κ 186) et locos, ubi *δὴ τότε* ponitur post protasin temporalem, quae incipit ab *ἦμος* (A 476, ι 169. 559. 561, μ 9, ϱ 2, τ 427), ab *αὐταρ ἐπεὶ* (M 17, γ 343, δ 69. 542, ϑ 486, ι 88, κ 59, ο 144, π 56), ab *ὅποτέ κεν* (κ 294); post protasin conditionalem, quae incipit ab *εἰ κε* (τ 497), *εἰ δὲ κε* (ϱ 83). Clarius autem apparet voce *δὴ τότε* aliquid exspectatum significari in sententiis coordinatis velut *πάροιθεν . . . δὴ τότε*, (ϱ 296), *πρόσθεν . . . δὴ τότε* (N 441), *πρὶν περ . . . δὴ τότε* (E 136), *πρὶν μὲν . . . δὴ τότε γ'* (ν 92), *πρὶν μὲν πὺτ' . . . δὴ τότε γ'* (ο 228), *ποτὲ . . . δὴ τότε γε* (Δ 107 cfr. Υ 411, ϱ 301, χ 186). Ista argumenta sufficiunt ad demonstrandum versus 297/98 una cum 205—240 compositos esse. Accedit autem, quod utrisque versibus epiphania β γ imitationi fuit, e qua et Mentoris forma et versus 298 (*ὑψόθεν ἐξ ὀροφῆς* = *ὕψόθεν ἐκ κορυφῆς* (β 147) recepta sunt.

χ 225 = χ 26, χ 226 cfr. τ 493, *Z* 292, χ 227 cfr. *Γ* 121; χ 228 cfr. *Π* 191, χ 229 ex λ 516, χ 230 cfr. *B* 37, χ 233 inepte ex *P* 179 (cfr. A. Gemoll, Die Beziehungen zwischen Ilias u. Odyssee, Hermes XVIII (1883) pg. 73, Düntzer, homer. Abhdl. pg. 469, K. Sittl, Die Wiederholungen i. d. Odyssee, München 1882 pg. 43), χ 234 cfr. ι 348 + γ 90 frq., χ 236 ex *P* 627. Verum in versibus, quos ipse concipit, manifesto necessitate hexametrum justo syllabarum numero explendi angitur, quo fit, ut non raro verbis supervacaneis utatur, velut vs. 216 vocem '*τούτους*' explicat verbis '*πατέρ' ἠδὲ καὶ υἱόν*', vs. 220 vocem '*κτήματα*' explicat verbis '*τὰ τ' ἔνδοθι καὶ τὰ θύρηφι*'. Similique de causa versum 238 '*ἠμὲν Ὀδυσσῆος ἠδ' υἱοῦ κυδαλίμοιο*' inserit et Mentori patrem Alcimum imponit, qui aliis in locis non exstat. Denique voce *ὀλοφύρεαι* (232) plane falsa cum significatione utitur, nulla alia, ut videtur, causa permotus, quam quod metro bene continetur (cfr. Döderlein, homerisches Glossar § 2426, cuius explicationem jure refutat Baumeister, Ibb. f. Phil. 1859 pg. 173). Quae cum ita sint, etiam argumentis e rebus divinis non petitis comprobatur versus χ 205—240 recentissimos esse.

Relinquitur, ut versus ω 443—449 laudemus, ubi Medon praeco Minervam Ulixi inter procorum caedem auxilio venisse Ithacensibus narrat. Ex his versibus, nempe recentibus, cum et libro ω contineantur et ad recentioris aetatis locum respiciant, item apparet, illis temporibus poetas, quae depicturi erant, animis sibi distincte non excogitasse. Medon enim deum se vidisse profitetur Mentoris forma indutum, quamquam in libro χ nemo nisi Ulixes deam videtur agnovisse neque liquet, cur is ipse (Medon) divinam naturam senserit. Praeterea poeta verbis '*θῦνε κατὰ μέγαρον*', eis quae Minerva praeclare gesserit, vim quandam ac pondus ita addit, ut risum magis quam admirationem moveat. Si vero verbis '*θῦνε ὀρίνων μνηστῆρας*' significatur „inter procos saeviebat, cum eos fugaret", Minerva ipsius naturam adeo neglexisse putanda est, ut etiam cum mortalibus comminus fiat, id, quod praeter Iliadis versus recentissimos *Π* 790 sq., ubi Apollo Patroclum per dolum occidit, apud

Homerum non invenitur. Omnino autem poetae neglegentia ex eo intellegitur, quod praeter Mentoris praesentiam omnia, quae versibus 443—49 enarrantur, cum eis, quae Minerva χ 205—240 re vera gessit, plane dissentiunt.

Hoc loco tamquam praetereuntes commemoratione dignum censemus, quod etiam Noemon in libri δ extrema parte, quam recentioribus temporibus conceptam esse Kirchhoff et Wilamovitz consentiunt, sese Mentoris (qui in β γ apparet) divinam naturam perspexisse profitetur (δ 653—55); sed in istis versibus praeter id ipsum, quod Noemo deam cognovit, nihil argumenti inest, quo de hac libri δ parte judicium faciamus.

§ 11.

Praeter Mentorem, quem in Odysseae extrema parte satis vulgarem et fere cotidianum factum esse vidimus, Minerva semel tantum hominis nominatim appellati formam induit, versibus ζ 13—47, ubi Dymantis filiae sub specie Nausicaam dormientem commovet, ut futurarum nuptiarum memor lintea lavet.

Hunc vero locum, ubi omnino omnia continuo enarrata bene se habent, priscis temporibus esse conceptum etiam argumentis e rebus divinis petitis comprobatur. Namque Minerva, quae commutata descendit, non cognoscitur, Nausicaam comi quadam cum gravitate affatur, justa de causa rebus se admiscet (cfr. schol. ζ 31), quae loquitur, prudenter ad propositum accommodat. Nausicaa vero, postquam dea, quam vs. 13 accessisse legimus, in Olympum revertit, ex voluntate eius a patre currum, quo lintea lavatum vehatur, petit.

Poetam haud parvam operam in dea depingenda navasse imprimis e forma, quam Minerva induit, cognoscitur. Nam cum deam non commutatam etiam dormienti apparere nefas, ut videtur, putaret, e rerum natura optimum existimabat, ut Minervam amicae formam induentem faceret. Sed in duplices difficultates incurrebat, quod

et in universa Phaeacum fabula Nausicaae amica, cuius formam dea indueret, non exstabat, neque deae auctoritatem decebat tamquam amicam cum virgine mortali colloqui. Quibus ex difficultatibus alteram de medio sustulit, cum Nausicaae amicam, quae quidem postea in lucem non iam prodiret, de suo sibi animo excogitaret; alteram infregit, cum deam Nausicaae dormienti, quae verbis eius non responderet, apparentem faceret. Eandem diligentiam et artem ad somnium ipsum depingendum adhibuit. Nausicaa enim, ut dormientibus fieri solet, amicam ad lectum stantem tamquam oculis sibi videtur aspicere, quam ob rem Minerva ne verbo quidem formae, quam induit, mentionem facit. Verba autem, quibus utitur, tam bene ad animum et sensum virginis respiciunt, ut optimo jure persuasum habeat illam etsi de vera somnii natura celatam nihilominus dicto audientem futuram esse. Denique poeta somnium re satis mira exornavit, cui similem in libris β γ non deprehendimus: nam cum Minervam per clausas fores ut venti spiritum virginis thalamum intrantem faceret (19. 20), fabulosi quidquam atque mystici divinae naturae suavissime addidit[6]). In universum autem ex omnibus istis, quae exhibuimus, argumentis apparet, ut vs. ζ 13—47, qui epiphaniam β γ diligentia aequant, arte superant[7]), priscis temporibus concepti sint, quod idem et Kirchhoff et Wilamovitz, aliis argumentis permoti, censent.

---

[6]) Quae de somniis, quae apud Homerum inveniuntur, commemoratione digna sunt, G. W. Nitzsch in adnotationibus ad δ 795—99 congessit.

[7]) Etiam in verbis ‘*ἐπεὶ διεπέφραδε κούρῃ*’ velim poetae diligentiam cognoscas. Est enim *διαφράζω* verbum transitivum, quod hoc loco excepto nunquam sine aliqua explicatione ponitur (cfr. *ὡς διεπέφραδε* Σ 9, *διεπ. πάντα* Υ 340, ϱ 590). Hic vero noster, cum vs. 46 voce *πάντα* concluderet, maluit neglegentiae vel potius vitii odium suscipere, quam, cum in insequenti versu (recte quidem secundum grammaticae regulas) *διεπ. πάντα* scriberet, *κακοφωνίαν*, quae vocatur, et eam foedissimam edere.

§ 12.

Iam vero ad eos locos transeamus, ubi hominum, quorum formas dei induunt, nomina non appellantur, sed mores et habitus describuntur. Agitur autem et de Mercurio, qui adulescentis speciem induit (*ϰ* 277—308), et de Minerva, quae in mulierem formosam (*ν* 224—440, *π* 155—177, *ν* 30—55) atque in virginem (*η* 19—81) se commutat; quibus e locis primos versus *η* 19—81 perlustrabimus, quia eadem Odysseae parte atque versus *ζ* 13—47, quos modo tractavimus, continentur.

Minerva, ut in libro *ζ*, cum Nausicaam obviam mitteret, Ulixi viam patefecit, ita versibb. *η* 19—81 cum ipso congreditur, ut quomodo ille Phaeacum animos sibi conciliet, praecipiat. Est autem induta specie virginis nominatim non appellatae, quae res satis mira videtur, si respicias in epiphaniis adhuc tractatis poetas hominibus, quorum formas dei induebant, semper nomina indidisse. Exsistit igitur quaestio, utrum hic noster per neglegentiam an certa causa permotus Phaeacum virgini nomen non imposuerit. Neglegentiae eum non arguerim, quoniam speciem istam, cui neque in Iliade neque in Odyssea similem inveniebat, ad id ipsum, ut Minerva cum Ulixe apud Phaeaces colloqueretur, sibi excogitavit. Apparet autem poetas priscae aetatis divinis hominibus, quo termino formas, quas dei induunt, significare liceat, nunquam temere nomina indidisse. Velut in libris *β γ* opus erat, ut Telemachum adulescentem senex, quocum usus quodam et consuetudinis vinculo conjunctus erat, comitaretur; in libro *ζ* amicam maxime decebat Nausicaam, ut lintea lavaret, impellere. Res igitur ferebat, ut de nominibus eorum, quos Telemachus et Nausicaa cognitos habebant, etiam, qui legebant, incerti non relinquerentur. At in libro *η* Ulixi naufrago ad alienum litus depulso virgo quaedam obviam it, nempe de populo, qui insulam habitat, quod quidem haud levis momenti est, cum ab indigena virgine optime de moribus hominum, quos aditurus est, certior fiat. Neque

minus valet, quod cum virgine nobili loco nata congreditur, cui magis confidat, quam cuilibet homini de multitudine. Itaque Minerva primis verbis, quibus Ulixem adloquitur, se indigenam et a patre nobili prognatam esse ostendit (29). Nomen vero non addit. Quid enim Ulixi, qui neminem e Phaeacibus cognitum habet, cum virginis nomine, praesertim cum poeta non id agat, ut colloquium illud alicuius momenti ad hospitium, quo iste apud Phaeaces fruatur, faciat. Si vero Ulixis non interest nomen virginis cognoscere, optimo jure supervacaneum censuit poeta eam omnino certo nomine appellare.

Quod postquam justissima de causa virginem nominatim non appellatam esse intelleximus, ad reliqua argumenta nos convertamus. Ulixes divinam virginem, cuius veram naturam non perspicit, ut vs. ν 318 comprobatur, magna cum reverentia tractat. Ipsa cum Ulixe colloquitur sermone, cui suavissime immixta est comitas, qua nobiles adversus hominem seniorem, urbanitas, qua indigenae erga hominem peregrinum, gravitas, qua dei adversus hominem mortalem uti debent. Praeterea deam accedere et abire disertis verbis commemoratur. Quid multa? — eadem sunt argumenta, eadem est ars, atque in priscae aetatis carminibus, quae supra perlustravimus.

Verum relinquitur, ut de causa, qua permota Minerva Ulixi apparuerit, deque via ac ratione, qua proposita exsecuta sit, quaeramus, qua de re quam difficulter judicium fiat, inde intellegitur, quod non desunt, qui totum locum interpolatum censeant, velut Koechly in dissertationum Homericarum prima (opuscula, Lipsiae 1881 vol. I 173 sq.). Hic enim, quod „callidus" Ulixes Minervam de regiae situ interrogat, et eius prudentia indignum et supervacaneum existimat, quoniam Nausicaa in libro ζ dixerit (300/301) Alcinoi domum ita facile cognitu esse, ut etiam puer viam posset monstrare. Sed vir doctissimus videtur errare; neque enim ad Ulixis calliditatem pertinet, utrum alienam urbem ingressus domum insignem e ceteris aedificiis comparatis ipse cognoscat an viatorem quendam consulat. Atque Nausicaa ipsa Ulixem apertis verbis jubet

Phaeacum urbem ingressum interrogare, ubinam Alcinoi regia sita sit (ζ 300/301), et cum addit, etiam puerum viae ducem esse posse, non omnino interrogare eum vetat, sed sese persuasam ostendit eum certe offensurum esse, qui domum possit monstrare. Quae cum ita sint, tantum mihi videtur abesse, ut locus noster (η 19—81) propter versus ζ 298—301. tamquam ineptus et supervacaneus reiciatur, ut istis versibus Minervae cum Ulixe congressum instrui ac praeparari contendam, quoniam versibb. η 22—26 ea fiunt, quae factum iri Nausicaa versibb. ζ 298 sq. coniecit.

Nunc vero quaerat quispiam, num Minerva eo, quod rebus se admiscet, nihil studeat, nisi ut Ulixi viam monstret. Atque re vera dea nihil aliud molitur, praeterquam quod praescribit, ut ille primum ad Areten reginam, tum ad regem ipsum se convertat, quod quidem vel a Nausicaa commemoratum (ζ 303 sq.) non tantum valet, ut divinum auxilium requirat. Reliqua, quae narrat, sive ficta, velut quae de Phaeacum moribus refert (η 32 sq.), sive Ulixi hoc saltem tempore non cordi sunt, velut Phaeacum regum genealogia, quam interpolatam esse Kirchhoff (pg. 315 sq.) sagacissime ostendit. In universum autem Ulixis animum non modo non confirmat, sed anxia haesitatione afficit. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin poetam, quem reliqua optime sibi excogitasse vidimus, hoc loco de Minervae auctoritate detraxisse censeamus. Sed quod deam sine justa causa mendacia facit loquentem, ita cum eius arte non consentit, ut magis de judicio nostro quam de illius ingenio dubitemus. Nunc vero G. W. Nitzsch in adnotationibus ad Homeri Odysseam (ad vs. η 30—36 II pg. 137), cum de Minervae mendaciis verba facit, eis, quae dea fingit, ipsius Ulixis sententiam significari vult; proprium enim esse Homeri, ea, quae ille secum deliberet, Minervae verbis pronuntiare. Quae quidem res, ut eis locis, ubi homines, siquid secum deliberant, '*προτὶ σφῶν αὐτῶν θυμόν*' loquuntur, refutatur, ita neque exemplis, quae Nitzsch laudat (ο 10—42, ν 33—53, ν 287 sq., imprim. ν 296 sq.), comprobatur neque Minervae aut epicae poesis indole continetur. Sed sententia illa adducimur, ut quaeramus, num

poeta, qui Ulixis res divino auxilio haud promovit, Minervam sese admiscentem fecerit, cum non Ulixis sed alius cuiusdam rationem haberet. Hic vero „alius quidam" quandoquidem solo de Ulixe agitur, nemo potest esse nisi ei qui audiunt vel legunt. Hos enim, qui, cum Ulixes tanta cum liberalitate receptus esset, facile animum poterant inducere eum omni periculo remoto ad amicos propitios devertisse, hos Minervae verbis poeta commonefecit Ulixem, quantacumque fuerit Nausicaae comitas, nihilo secius de Phaeacum erga se animo omni cura et periculo minime vacare; vel, ut termino his temporibus usurpato utamur, poeta et legentium et Ulixis securitatem ingeniosissime eo, quod nos dicimus „retardierendes Moment" perturbavit. Quod ad conficiendum non sine sollertia Minervam deam adhibuit, quia divina sapientia maxime idonea erat, qua Nausicaae fides (ζ 289. 90, 310—12) imminueretur. Eodem vero artificio effecit, ut Minerva, cui ex fabulae indole non licebat, ut in insequentibus libris se admisceret, hoc saltem loco, ubi Ulixes postremum errorum periculum erat subiturus, eius fautricem se praestaret. Itaque poeta non inepte nec temere, sed ingeniosissima cum arte Minervam agentem fecit, quod ad argumenta priscae aetatis, quae supra constituimus, accedit. Non habemus igitur, cur epiphaniam η 19—81 ut interpolatam eiciamus, praesertim cum Nausicaae verbis (ζ 289 sq.) instructa et praeparata sit.

Praeterea hi versus idem mysticum illud resipiunt, quod in versibb. ζ 13—47 invenimus. Etenim miraculosi quidquam rebus inest, si Minerva et Ulixes nebulis circumdati per urbem migrant, si dea hominem mortalem silentium agere jubet neque quemquam aspicere, tamquam si nebula magica verborum sonitu et oculorum radiis percussa occultandi vim perditura sit; et ille dicto audiens alto silentio ab deae latere incedit. Et hac re denuo comprobatur epiphaniam η prisca aetate esse coortam. Nam cum Nausicaae somnium artissime cohaereat cum Ulixis congressu (ζ 145—316), hoc autem (ζ 198 sq.) Minervae congressus praeparetur, atque cum utriusque loci (ζ 13—47 et η 19—81) res divinae eodem mystico colore, qui in Odyssea admodum

raro usurpatur, depictae sint, optimo jure contendimus utramque epiphaniam ab eodem poeta eisdem et eis priscis temporibus compositam esse.

At tamen hic locus non vacat offensionibus. Offenderunt enim viri docti primo loco in mulierum, quae dicitur, dominatione (η 69 sq.). Hanc vero dubitationi non esse, si quis cogitet non de rei publicae institutione sed de Phaeacum et praecipue domus regiae vita ac moribus agi, Kammer (pg. 101 sq.) non sine elegantia demonstravit. Praeterea vs. 56—68, 80—81, 39—42 offensi sunt. Versus 56—68, quibus Phaeacum regum genealogia continetur, supervacaneos esse, supra obiter commemoravimus; interpolatos eos esse Kirchhoff demonstravit (pg. 205. 320 sq.), cum ostendit poetam quendam, cuius carmen sub Hesiodi nomine ferebatur (schol. η 54), versus η 54, 55 laudavisse, verum de Phaeacum genealogia nihil compertum habuisse. Versus η 80—81, ubi Minerva in Erechthei domum abit, vel Chaeris (schol. η 80), qui erat Aristarchi aequalis (cfr. Wilamovitz, Aus Kydathen, Berl. 1880 pg. 154) offendebatur. Nam cum heroes apud Homerum non colantur (cfr. L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, Berlin 1882 I. 121 sq.), vs. B 547, ubi Erechthei fabula adumbratur, et η 81, ubi templi eius mentio fit, ea demum aetate concepti sunt, qua Minervae et Erechthei feriae latius innotuerunt. Hoc vero post Homeri tempora factum esse Wilamovitz, qui idem hos versus reicit, luculentissime demonstravit (pg. 169 sq., 247 sq.). Versus 39—42 Kirchhoff (pg. 205) eam potissimum ob causam eliminandos censet, quod, ut ipsius verbis utar „zum Schluss das oben (η 14 sq.) bereits gesagte mit einer Wiederholung selbst der Motivirung in einer Weise vorgebracht wird, welche unerträglich genannt zu werden verdient". Sed vir doctissimus videtur errare; aliud enim est, quod Ulixes solus nebulis circumdatus ingreditur (η 14 sq.), aliud, quod una cum Minerva nebulis velatur (η 39 sq.). Itaque mera de repetitione non agitur. Intolerabiles autem hi versus ideo non sunt, quod his ipsis maxime explanatur, quam mirum in modum dea potentissima (δεινὴ θεός) Ulixi consulat. Denique particula

'ἕα' (ἦ ἑά οἱ ἀχλύν η 41) poeta ostendit, sese consulto ad vs. 14 sq. spectare.[8])

§ 13.

Ab epiphania η ad versus κ 277—308 transeamus, ubi Mercurius rebus ita se admiscet, ut Ulixi Circes domum adituro magicam herbam, qua illius dolos irritos faciat, tradat.

Hujus loci res divinas consideraturi duplices in difficultates incurrimus, cum et Mercurius his versibus exceptis in Odyssea cum hominibus non colloquatur, et congressus ipse, non ab Homero, ut ita dicam, sed ab Ulixe enarretur. Verum nihilosecius etiam ad hanc epiphaniam judicandi notas, quibus uti solemus, adhibeamus.

Mercurius apparet commutata forma et ea juvenis formosi, cui nomen non impositum est, nimirum ea de causa, quod Ulixes, ut supra, cum Phaeacum fines intraret, ita in Circes insula neminem cognitum habebat, cuius speciem deus indueret. Haec autem species maxime idonea erat, qua ipsius naturam celaret, quod juveni per silvas vaganti offendere minime suspicionem divini auxilii movebat. Atque re vera Mercurius, quamquam herbam magicam tradit eiusque vim explicat (303), ne verbo quidem se esse deum significat, sed comiter colloquitur atque ea cum gravitate, qua, qui periculi imminentis remedium habent, adversus inscios et auxilii inopes e rerum natura uti solent. Videmus igitur poetam etiam hoc in loco rem ingeniosissime ita instruxisse, ut et divina natura lateat neque quidquam de dei auctoritate detrahatur. Praeterea justissima de causa

---

[8]) Quia vs. 80. 81. reici non possunt nisi sententiarum compage interrupta et quod vs. 56—68 et 103—132 interpolatos esse constat, Wilamovitz (pg. 169 sq.) totum locum inde a vs. 56 usque ad vs. 132 eliminat. Hac autem de re copiosius agere nostra non interest, quod nostra argumenta e versibb. 14—47 petita sunt, quos priscos esse etiam ille non negavit.

rebus se inmiscet, quoniam Ulixes sine eius auxilio in Circes insidias certe incidisset, atque quae sibi proposuit, via ac ratione perficit, quo accedit, quod poeta eum accedere et ad Olympum redire non obliviscitur commemorare. Quae ad argumenta si addis, quod sententiarum compages nusquam interrumpitur neque quidquam in singulis verbis offensioni est, facere non potes, quin versus κ 277—308 priscae aetati tribuas.

At tamen est, quod obstat. Ulixes enim, ubi primum juvenem adpropinquantem adspicit, statim Mercurium cognoscit, eum ad Olympum redeuntem videt neque nomen, quo dei magicam herbam appellant, ignorat. Quid? quod simplicissimis verbis dei praesentiam refert (ἔνθα μοι Ἑρμείας ἀντεβόλησεν' et 'ἀπέβη πρὸς Ὄλυμπον' 277 et 307)? quod ne verbo quidem commemorat miri quidquam deorum cum hominibus colloquiis inesse? Nonne videtur deorum commercio satis assuetus? At hoc, ut ex libris χ et ω cognovimus, recentiori aetati testimonio est.

Certe quidem; recentioris et priscae aetatis argumenta in hoc loco aeque atque supra in libro α commixta sunt. Causam vero, cur hoc factum sit, Kirchhoff (pg. 292 sq.) sagacissime exposuit, cum ostenderet Phaeacum fabulae satis magnam partem a tertia, ut ita dicam in primam personam transscriptam esse. Hac autem parte etiam vs. κ 277—308, ut Kirchhoff ipse dicit (pg. 305 sq.), continentur. Omnes enim offensiones in eo vertuntur, quod Ulixes res divinas nimis expertas habet (cfr. Kirchhoff l. l.). Si vero non Ulixes, sed poeta narrat, Mercurium ei adulescentis specie indutum obviam venisse, nonnulla verba comitatis plena locutum erranti mirificam herbam, qua Circes dolos et artes irrita faceret, tradidisse, tum ad Olympum revertisse, si rem hunc in modum instituimus, non solum difficultates tolluntur — quia Ulixes ipse de deo omnino non verba facit —, sed etiam manifestum fit, totum locum haud spernenda arte, ut supra vidimus, conscriptum priscae aetati attribuendum esse.

Itaque nostra divinarum rerum cognitione, quae Kirch-

hoff de versibb. ϰ 277—308 statuit, confirmavimus.[9]) Sed de temporibus, quibus et redactor et priscus poeta fuerint, certi quidquam ideo constituere non possumus, quod ille non sponte res divinas neglexit, sed loci indole permotus, quem totum denuo fingere noluit.

§ 14.

Sed a Mercurio ad Minervam redeuntes eas epiphanias perlustremus, ubi dea, ut Homeri verbis utar, tamquam 'γυνὴ καλή τε μεγάλη τε καὶ ἀγλαὰ ἔργα ἰδυῖα' apparet, h. e. versus ν 224—440, π 155—177, υ 30—55. Primum vero ν libri locum recenseamus, quod cum ceteris manifesta similitudine conjunctus, ita difficilis tractatu est, ut permultum ad res divinas cognoscendas valeat.

Vs. ν 224—440. Ulixi in patria, quam propter nebulas divinitus circumfusas non agnoscit, expergiscenti Minerva viatoris specie induta obviam it, ut eum de reditu certiorem faciat (221 sq.); tum cum ille, ut est callidus, fallacem de se narratiunculam fingit (256 sq.), divinam naturam eo, quod sese de improviso in mulierem formosam commutat, ostendit (287 sq.). Profitetur autem sese ideo venisse, ut cum illo consilium ineat, dona Phaeacum abscondat, res Ithacenses communicet (303 sq.). Quae postquam confecit omnia, Spartam versus abit, ut Telemachum Ithacam reverti jubeat (412 sq.).

Inter hanc et reliquas Odysseae epiphanias id maxime interest, quod Minerva forma bis commutata, altera viatoris (221—286), altera formosae mulieris (287—440) apparet. Atque, si accuratius inspexeris, animadvertes utramque partem de colore et dicendi ratione, de tenore et sententiarum compage mirum quantum differre. Itaque optimum videtur factu, ut epiphanias ν^1 et ν^2, quibus signis sin-

---

[9]) De hoc loco etiam Heimreich (Die Telemachie u. d. jüngere Nostos, Progr. Flensb. 1871 pg. 22 sq.), qui Kirchhoffii sententiam semper fere non sine elegantia impugnat, tamquam invitus sese illius argumentis convictum profitetur.

gulas partes significare liceat, seiunctim perlustremus. Initium vero faciamus in priore parte (221—286) recensenda inde a versu 187, quandoquidem omnia, quae versibb. 187—440 enarrantur, auspiciis et auxilio Minervae fiunt; quae, ubi primum ille experrectus est, statim rebus se inmiscet, cum insulam nebulis circumdat (vs. 189).

Phaeaces, postquam Ulixem gravi sopore oppressum una cum donis e navi deportaverunt, patriam versus redeunt, cuius in aspectu a Neptuno irato in scopula saxaque commutantur (*ν* 113—186). At ille, ubi in Ithacae litore expergiscitur, patriam, ex qua per longum viginti annorum spatium aberat (*ἤδη δὴν ἀπεών* 189), non cognoscit; deus enim nebulas circumfuderat (189). — Hic vero quaerimus, cur deus insulam nebulis circumdederit, qua in re optime contingit, ut poeta ipse causam addat. Dicit enim (189—91) Minervam ideo nebulas circumfudisse, ut Ulixi omnia narraret et, ne cognosceretur, impediret, priusquam procorum superbiam et injurias ultus esset (190—93). Haec vero causa nulla est, ut vel Aristophanes Byzantius vidit, qui *αὐτὸν* in *αὐτῷ* (190) non recte (propter vs. 192) correxit (cfr. schol. H vs. 190, Kirchh. pg. 497). Namque sine ulla dubitatione Minerva oram ideo nebulis circumdat, ne Ulixes ipse patriam cognoscat; quae res eo comprobatur, quod ille somno oppressus ad litora deportatur, cum, si experrectus esset, certe a Phaeacibus de insulae nomine certior esset factus. Itaque, qui vs. 190—193 inseruit, et rei bene institutae causam supposuit perversam, et cum, quae vs. 397 sq. narrantur, brevi commemoratione anticiparet, satis inepte ac praemature, quae nemo intellegere potest, adumbravit. Quam ob rem optimo jure, qui his temporibus Homero operam navarunt, vs. 190—193 interpolatos censuerunt.

Ulixes autem, ubi experrectus sese in ignoto litore desertum videt, vehementissime plangitur verbaque maestus et doloris plena fundit (194—216), quibus in verbis denuo haeremus. Namque Wilamovitz (pg. 106) et Kammer (pg. 550 sq.) versus 200—208 eliminant, Meister (Philol. VIII. pg. 8 sq.) tamquam alteram recensionem juxta 209—214

compositos existimat, Kirchhoff (pg. 498) autem versus etsi non bonos, tamen non includendos censet. Atque re vera omnes, quos laudavimus, viri docti magis ipsorum sensu quam certis causis permoti de hoc loco judicium fecerunt. Meister enim, qui contendit interiectionem 'ὦ πόποι' (209) non nisi in orationum initiis positam esse, neglexit, quod N 99 Ξ 49, P 171 'ὦ πόποι' mediis in orationibus invenitur (Kammer pg. 551). Kammer (l. l.) eo offenditur, quod Ulixes in tanto discrimine rerum de Phaeacum donis verba facit; recte quidem, sed num is, qui reliquos versus non offensos concepit, idem senserit, non liquet; neque idem demonstrat, cur non nisi perversissimus interpolator (= »verschrobener Rhapsode«) Ulixem optantem facere possit, ut ad alium 'ὑπερμενέων βασιλήων' (scilicet inter Phaeaces) venerit. Quas ad offensiones addunt, quod vs. 200—202 etiam aliis in locis inveniuntur (= ζ 119—21. 200/1 = ι 175/76. 201/2 cfr, ϑ 575/6); sed cum Ulixes saepius ad terras alienas depellatur neque hoc loco sententiarum compages aut pervertatur aut dirimatur, etiam versus iterati argumentorum instar non habentur. Quae cum ita sint, non multum abest, quin Kirchhoffio in versibus 200—208 retinendis adsentiamur. At tamen est, quod obstat. Versus enim 204—6 cum versibus 209—11 non consentiunt; nam cum Ulixes optat, ut ab alio 'ὑπερμενέων βασιλήων' remissus esset, certe reliquos Phaeacum duces praeter Alcinoum significat (cfr. Kammer l. l.), vs. 210 autem ipse profitetur se a Phaeacum ducibus remissum esse (cfr. λ 353) Alcinoi nomine non commemorato. Apparet igitur utrosque versus una atque eadem oratione contineri non posse. Nunc vero, cum intelleximus apertum vitium versibus 200—214 inesse, ea, quae viri docti alia reprehenderunt, multum valent ad interpolationem cognoscendam; quorum ad argumenta etiam hoc addimus, quod vs. 207/8 poeta dicere neglexit, quidnam Ulixes abscondere aut non relinquere vellet; namque eum de Phaeacum donis verba facere e sententiis praecedentibus non subintellegendum, sed fere divinandum est,

Ulixes igitur, versibus 200—208 eliminatis, de Phae-

acum hostilitate et injustitia graviter queritur Jovisque poenam in eos devocat (209—14). Quae lamentatio si cui pro eius dolore brevior et magis tenuis, quam par est, videatur, vs. O 397 sq. respiciat, ubi similem in modum haud verbosa lamentatio versibus 'ᾤμωξεν τἄρ ἔπειτα καὶ ὣ πεπλήγετο μήρω χερσὶ κτλ.' incipit, quo accedit, quod, quam gravis sit Ulixis dolor et luctus, versibb. 198/99 et 219—21 bene significatur. Ille vero, ubi satis lamentatus est, vel potius, cum aliquamdiu lamentari desiit, Phaeacum dona pernumerat (215—19), quod quidem cum nostra sentiendi ratione non consentit. Itaque cum vel supra in versibus interpolatis donorum verbosa commemoratione offenderemur, etiam hi versus in suspicionem quandam vocantur. Atque re vera in versu 215, quo hic locus cum antecedentibus committitur, haeremus. Neque enim Ulixes luctu et lacrimis tamquam defatigatus animi quadam motuum remissione dona obiter perspicit, sed plangorem et affectus interrumpit, ut dona pernumeret, quo facto rursus in dolorem et lamentationes se convertit. Quod si cui magis in uniuscuiusque legentis sensu videatur positum, quam ut argumenti instar habeatur, certe ποθεῖν vocis (219) notione intellegitur hunc locum priscis temporibus conceptum non esse. Hac enim voce significatur „desiderio aliquid cupere“, quod idem e verbis 'πόθος' et 'ποθή' cognoscitur; itaque superstites saepius mortuos 'ποθοῦσιν' (Λ 161, Ψ 16, Ω 6, πόθος λ 202, ποθή P 690. 704, T 321); sed etiam absentes, praesertim si eos redire non verisimile aut periculosum est, cum desiderio cupiuntur, velut mariti ab uxoribus (E 414, α 343, σ 204, τ 136), Telemachus absens a Penelope (β 375, δ 748; πόθος δ 796 ξ 144) Neptunus (O 219) et Achilles (ποθή A 240, Z 362, Ξ 368 sim. de Ulixe Λ 471) ab Achivis, quos dereliquerunt; item Ulixis reditum Laertes (λ 196) et Achilles bellum (A 492), quin etiam equi aurigae absentis habenas (E 234) et aries osculum Polyphemi occaecati (ι 453) ποθοῦσιν. Sed vis, quae verbo subest, sensim hunc in modum variatur vel potius extenuatur, ut praeter desiderium, quo quis rem amplectitur, etiam inopia, qua quis ad cupiendum impellitur, alicuius momenti fiat, ita quidem,

ut et desiderii et inopiae ratio aequis partibus in hoc verbo contineatur, velutsi populi regibus mortuis ἄρχον ποθοῦσιν (B 703. 709. 726. 778), vel Ulixes gubernatorem (κ 505), Telemachus πολὺν βίοτον (ποθῇ β 126), pisces aquam (χ 387) cupiunt; denique si Ulixes optat, ne Euryalus unquam gladium, quod ab eo dono acceperat, retinuisse cupiat aut indigeat (ϑ 414). Postremo autem in hoc verbo desiderii notio prorsus fere evanuit, cum inopiae ratio ita premeretur, ut ποθεῖν idem fere esset atque indigere vel „non habere" vel „desiderare" (cui verbo in latina lingua item desiderii notio non raro interiit cfr. Caes. bell. Gall. VII. 51. 3). Itaque proci ποθοῦσιν h. e. desiderant arma, quae Ulixes una cum Telemacho abscondidit (π 287, τ 6), Telemachus negat sibi ποθὴν ξενίων esse (ο 514. 546) h. e. se eis abundare. Eodem hoc nostrum τῶν μὲν ἀρ' οὔ τι πόθει referendum est (ν 219), quo significatur Ulixem de certo numero nihil desiderare. Hanc vero notionem non nisi ea aetate, qua poetae, cum res minoris momenti gravibus verbis premerent, de graviorum verborum vi detrahere coeperunt h. e. certe non prisca aetate irrepsisse ex eis, quae modo exposuimus, nemo negabit. Praeterea vox ἄγοντες (216) hoc loco ita videtur detrita, ut falso fere usurpetur: namque, ut Classen (Beobacht. üb. d. homerischen Sprachgebrauch, Frankf. 1867 pg. 81) recte vidit, participia ἔχων et φέρων atque ἄγων eo differunt, quod illa non nisi cum rebus, hoc cum animalibus coniungitur; quae res in verborum ipsorum notione posita solo in hoc loco neglegitur. Istis igitur variis de causis versus ν 215—219, ubi iterum Phaeacum dona loco non apto majoris, quam par est, momenti fiunt, interpolatos censemus.

Ulixi igitur, qui dolore oppressus litora pererrat, Minerva obviam it adulescentis ingenui forma induta et ab illo de terrae nomine quaesita, cum de ignorantia eius sese mirari simulat, Ithacae nomen pronuntiat. Ille vero, qui reditu vehementer gaudet (γήϑησεν χαίρων 250), ficta narratiuncula deam de se suisque fatis certiorem facit. Hoc fere prioris partis argumentum est.

Verum antequam examinemus, quomodo hac in parte

res divinae depictae sint, in versu 254 aliquantum subsistamus. Offendimur enim primum eo, quod enuntiata ‘*οὐκ ἀλήθεα εἶπεν ἀλλ' ἐψεύσατο*’ satis singulariter et inepte vocibus *ὅ γε* bis positis conjunguntur: ‘*οὐδ' ὅγ' ἀλήθεα εἶπε, πάλιν δ' ὅ γε λάζετο μῦθον*’. Majoris autem momenti est, quod hemistichium ‘*πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον*’ (= *Λ* 357) falso usurpatur; etenim *λάζομαι* (a radice *λαβ*. cfr. Döderlein, hom. Gloss. § 2269) idem est atque capere, ut saepius apud Homerum legitur, velut *λάζετο ἥνια χερσὶν* (= frena manibus cepit) et similia (cfr. E 365. 745. 840, *Θ* 389, *Π* 734, *Ρ* 482, *Ω* 441, *γ* 483); eandem notionem habes in ‘*ἀγκὰς θυγατέρα ἐλάζετο*’ (E 311) et ‘*ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν*’ (B 418). Ex hac notione efficitur, ut voce ‘*πάλιν λάζετο μῦθον*’ significetur „verba, quae dixerat, retraxit“, quod quidem optime ad versum *Λ* 357 quadrat, ubi Agamemno convicia, quibus Ulixem affecit, retractat. Hoc autem loco Ulixes, quia nihil dixit, verba sua retrahere nequit. Itaque cum scholiastae (H: *εἰς τὸ ἐναντίον ἔστρεφεν*. V: *εἰς τοὐναντίον τοῦ ἀληθοῦς, ὃ ἔστιν ἐκ δευτέρου δὲ τὸν λόγον ἀνελάβετο*) et qui his temporibus versum commentati sunt (Ameis: er nahm die Rede zurück, die ihm bereits vor Freude auf der Zunge schwebte. Ebeling: quae dicturus erat, retinebat) non tam poetae verba explicent, quam, quid ei scribendum fuerit, adnotent, facere non possumus, quin (vs. 254) hemistichium ‘*πάλιν δ' ὅγε λάζετο μῦθον*’ ex Iliadis libro *Λ* falsa cum significatione receptum existimemus.

Iam vero perquiramus, quomodo hac in parte res divinae depingantur. Minerva apparet adulescentis forma induta; optime, namque cum divina auctoritate prorsus consentit, quod in adulescentem sese commutat, quem nobili loco esse natum statim in oculos incurrit (223). Neque minus haec forma ad rerum naturam quadrat: Etenim si non cognita cum Ulixe congredi vult, praecipue id spectandum est, ne speciem induat, quae suspicionem quandam et admirationem commoveat. Quid autem verisimilius aut minus suspiciosum est, quam quod adulescens quidam, ovium pastor, ornatus pallio, soleis, hasta, quae omnia viatores

gestare solebant, per litus transit et cum Ulixe congreditur. Nomen vero adulescenti non tribuitur, nempe eandem ob causam atque in libro η (pg. 33); nam cum Ulixes, cui insulam cognoscere non licebat, etiam de hujus nomine celandus esset, poeta jure supervacaneum duxit adulescenti nomen imponere. Omnia igitur perbene ita instructa sunt, ut Ulixes Minervam non cognoscat, quod quidem in epiphania ν^1 re vera non fit.

Tum quanam de causa Minerva rebus se admiscuerit, quaeritur, qua in re mente teneamus nos solam priorem partem respicere. Namque si de toto libro ν ageretur, causa aperta haec esset: Minerva insulam nebulis circumfundit, ut Ulixes in litore commoratus congressus facultatem det neve patria statim cognita urbem versus properet et a procis interficiatur. Quae causa quamquam non ex omni parte justa — licebat enim Minervae etiam in via domum properanti obversari, ut Mercurio in Circes insula — tamen in offensionem non incurrit. Sed cum vs. 187—286 ab epiphania ν^2 seiunctos tractare propositum sit, sola ex hac parte inmiscendi causam efficere oportet, nisi forte concedamus nos utramque partem falso ac temere disparavisse.

Quod quidem Minerva nebulas circumfundit, ut insulam ignotam reddat, nullam habet dubitationem. Verum enim vero difficillimum est dijudicatu, si res Ithacenses omittamus — de quibus sola in posteriore parte agitur — quanam causa dea commota sit, ut omnino Ulixem, quominus patriam cognosceret, prohiberet. Rebus enim in ipsis nihil impedit, quominus ille statim ad Penelopen domumque sese praecipitet. Itaque nihil relinquitur, nisi ut ad poetae ingenium confugiamus, num artis rationibus permotus Minervam istum in modum rebus sese admiscentem fecerit. Hic vero primum oculis obversatur, rem optime instructam esse, ut Minerva, postquam Ulixes post tot tantosque errores tandem revertit, ipsa laetam eius exsultationem adspiciat. Accedit autem, quod, qui legunt, eius praesentia sive meminerunt sive docentur Ulixem non sine divino auxilio neque errores pertulisse neque in patriam

revertisse. Itaque, si ex eis, quae poeta concepit, ea efficere licet, quae sibi proposuerit, poeta Minervam ea de causa ad extremum sese admiscentem fecit, ut et Ulixes bonis auspiciis redeat, et, qui audiunt, doceantur eum usque ad id tempus divina tutela usum esse. Hac quidem ratione optime intellegitur, cur Minerva cum Ulixe reverso congressa sit; sed cur reversum patriam celaverit, nondum liquet.

Nunc vero videmus poetam summa cum arte Ulixis dolorem depinxisse et oratiunculam, qua Minerva eum de insulae nomine certiorem facit, ingeniosissime composuisse (237 sq.). Praeterea, quandoquidem Minervam se inmiscentem facere volebat, id spectandum erat, ut deae praesentia alicuius momenti esset, neque alienum videbatur, ut dea ipsa Ulixi nuntiaret eum in patriam advenisse. Denique si Ulixes navi ad urbis portum appulsa nulla mora interposita ad Penelopen se contulisset, aut si in litore experrectus patria statim cognita domum properasset, reditus ipse pro tantis erroribus et vehementissimo patriae desiderio satis levis et inanis videretur. Itaque poeta ea de causa Minervam insulam incognitam reddentem fecit, ut et Ulixis reditum aliquo pondere premeret et dea haberet, cur sese admisceret. Atque re vera contigit ei, ut, cum Ulixis reditum vi quadam atque pondere premeret, legentium animos maximo gaudio afficeret. Ille enim, quamquam reversus, vehementissime queritur (198/99), quasi desperatus litora patriae pererrat (219—21), ut paucis complectar, eadem patitur, atque si in alienam terram esset delatus. Interposuit igitur poeta, antequam Ulixem patriam faceret cognoscentem, id, quod nos dicimus „retardierendes Moment", quo etiam, qui librum η concepit, usum esse supra invenimus; hoc autem in loco ad eam artem processit poeta, ut momentum illud iteratum et auctum usurparet, qua de re postea verba fient.

Ulixes vero, ubi audivit in patria sese esse, vehementer gaudet et narratiunculam fingit, quam non sine offensione legimus. Namque si respiciamus, quo desiderio ille semper patriam adfectaverit, optimo jure miramur, quod

cum primum se esse domi percipit, non summa laetitia exsultat, sed calliditatis atque versutiae tamquam specimen ostendit. Praeterea non intellegitur, cur omnino fabulam fingat, postquam se in patriam revertisse certior factus est; Ithacenses enim sibi infestos esse compertum non habet, neque quidquam de procorum injuriis ad id tempus audivit exceptis versibus λ 115—120.

Sed ad Minervam redeamus, ut, qua via ac ratione proposita confecerit, perlustremus, h. e. quomodo insulam nebulis celaverit et Ulixem de reditu certiorem fecerit. Illud quidem poeta solo uno hemistichio significavit 'περὶ γὰρ θεὸς ἦέρα χεῦε' (189), sed nihilominus ingeniosissimum artificem sese praestitit. Neque enim ipse commutatam insulae speciem depingit, verum Ulixem, qui loca incognita circumspicit, tamquam enumerantem facit, quam aliena et variata et incognita omnia sint. Atque, cum viae, litora, saxa, arbores, omnia divinis nebulis quasi fascinata lateant (194—96), legentium animi eadem mystica irritatione afficiuntur atque in libro η, ubi Minerva item nebulis utitur. Eandem artem poeta adhibet ad orationem, qua dea cum Ulixe insulae nomen communicat. Neque enim interroganti (233—35) statim Ithacae sese esse ostendit, sed extremo fere versu (248) insulae nomen pronuntiat. Versibus autem praecedentibus tamquam patriae desiderium auctura Ithacam insulam magnis nec non veris laudibus celebrat. Post hos vero ingeniosissimos versus id satis frigere, quod Ulixes narratiuncula ficta respondet, supra reprehendimus.

Nunc vero gravissima nascitur quaestio, num Ulixes re vera patriam e Minervae verbis cognoverit, quippe quae, ut incognita fieret, nebulis erat obfusa. Has autem remotas esse in priore epiphania non legimus; neque, si respiciamus, qua arte omnia instructa sint, existimare licet, poetam plane omisisse Minervam nebulas retegentem facere. Nam cum nebulis objectis insulam incognitam reddidisset, certe in animo erat his demum remotis Ulixem patriam agnoscentem facere. Itaque verisimillimum videtur versus, quibus nebulae removebantur, oppressos esse, fortassis ab eodem, qui in hanc priorem partem complures versus inseruit.

Denique considerandum est, quomodo Minerva cum Ulixe et hic cum dea colloquatur. De Minerva quidem nihil commemoratione dignum est, cum versibus 237—49 Ulixem modo de reditu certiorem faciat. Hoc tantum commoneamus, deam ita loqui, ut neque eius vera natura perspiciatur neque de eius auctoritate detrahatur. Ex altera parte Ulixes summa cum reverentia incognitam deam adloquitur, neque quidquam offensionis in eius verbis inest, praeterquam quod postea adversus Minervam mendacem se praebet. Hoc vero, cuius simile adhuc in priscae aetatis locis non invenimus, ideo alicuius momenti facimus, quod in vs. 256 sq., qui insuper versu mendoso initiantur (254), vel supra haerebamus.

Cognovimus igitur, ut eorum quae invenimus summam paucis verbis repetamus, hunc poetam rem bene institutam ingeniosissime perfecisse, cognovimus eum et rerum naturam et hominum vel deorum, quos agentes fecit, mores diligenter perspexisse; utrumque vero in priscae aetatis epiphaniis semper invenitur, semper desideratur in recentiorum temporum versibus, ubi poetae pannis undique correptis carmina consuebant. Quod res divinas attinet, item omnia priscae aetatis argumenta deprehendimus, cum Minerva incognita cum Ulixe colloquatur, justa de causa rebus se inmisceat, proposita bene perficiat, summa auctoritate fruatur. Quid multa? libri ν priorem partem priscis temporibus conceptam esse pro certo constituimus. Sed non solum certae aetati, verum etiam certo poetae ex argumentis nostris hos versus attribuere licet. Nam cum in hac parte idem artificium usurpetur atque in epiphaniis ζ et η, id dico, quod rebus ad exitum properantibus mora quaedam affertur, et cum illae epiphaniae eadem Phaeacum fabula atque epiphania ν^1 contineantur, manifesto apparet, ut unus atque idem poeta priscas epiphanias ζ, η, ν^1 conceperit.

§ 15.

Postquam Ulixes narratiunculam fictam explicavit, id quod saepius facit (ν 257—286, ξ 199—359, ϱ 419—444,

τ 172—248, ω 303—314 cfr. Bonitz, pg. 33), Minerva vs. 287 formam induit mulieris pulchrae, grandis, operosae;[10]) hi autem versus (287—441) ita a priore epiphaniae parte differunt, ut eos sejunctos perlustrare oporteat.

Minerva, ut commemoravimus, formam mulieris pulchrae, grandis, operosae induit; neque difficile est cognitu, quanam re permota sit. Nam cum deam veram naturam nomine addito (300) ostendentem faciat poeta, verisimile est, eum verbis 'καλῇ τε μεγάλῃ τε καὶ ἀγλαὰ ἔργα ἰδυίῃ' (289) eam formam descripsisse, quam Minervae propriam existimabat, quod quidem non sine arte excogitatum est. Sed nihilosecius offendimur. Etenim in mulieris descriptione id solum agitur, qualis inspicientium, hoc loco Ulixis oculis sese praestet, ut aliis verbis dicam, sola de forma mulieris, non de muliere ipsa agitur. Itaque bene se habet, quod mulierem ut pulchram et magnam vel grandem describit; sed quod addit eam praeclara opera conficere posse, vel potius, mulierem eandem speciem habere atque quae praeclara opera conficere sciant, hoc, si non ineptum, certe incorrectum est: numeratur enim inter corporis laudes, id quod animi decus est.

Ulixes igitur deam agnoscit et cum cognita per satis longum tempus colloquitur, quod quidem priscis temporibus fieri non invenimus, ubi dei aut discedentes aut omnino non agnoscebantur. De cognoscendo autem ipso poeta utrumque satis mirum in modum disserentem facit, cum et a prisca et a recentiore aetate valde differat. Illic enim mortales deos cognitos fere attoniti admirantur (γ 372 cfr. α 322, ζ 49), hic deorum praesentiam non magni momenti faciunt (cfr. ω 502—48, χ 205—40). Verum in libri ν posteriore parte Ulixes dea cognita neque attonitus consistit, neque quod eam cognovit, silentio praeterit, sed se apud Minervam eo excusat, quod etiam sapientissimo viro

---

[10]) Voce „operosa" Homeri verba 'ἀγλαὰ ἔργα ἰδυίῃ' transtuli secundum Horatium, qui (od. III. 12. 5) Παλλάδα ἐργάνην voce „operosae Minervae" significat.

difficillimum sit deam agnoscere (312); illa vero Ulixem tamquam irridet aut vituperat, quod se non cognoverit (297 sq.). Sed qui hunc in modum colloquuntur, imperitiae hominis crimini tribuunt, id quod omnino in humanae atque divinae naturae differentia positum est, quo fit, ut etiam hoc in loco res divinas aliqua cum neglegentia tractatas cognoscamus.

Neque minus in eis, quae et Minerva et Ulixes addunt, haeremus. Namque illa profitetur sese Ulixem in omnibus rerum discriminibus semper adjuvare (cfr. 315. 318), se Phaeacum animos ei conciliavisse, se Phaeaces commovisse, ut eum donis cumularent (301. 302. 305). Sed haec omnia sive aucta sive ficta sunt, cum in erroribus Ulixi omnino non adstiterit, cum Phaeacum animi ab ipso Ulixe commoveantur praeter vs. ϑ 18—22, de quibus infra agemus, cum Phaeaces dona sua sponte, non Minerva suadente praebeant. Hic vero in cogitationem incidimus, anne idem poeta, qui Minervam mendacia dicentem (η 30 sq.) facit, etiam Ulixem fictam narratiunculam, qua supra offendebamur, narrantem fecerit, praesertim cum, quae ille cum dea cognita postea communicat, item non ex omni parte recta sint. Profitetur enim deam etiam sapientissimis viris (scilicet ut ipsi) difficillimam esse cognitu, quia omnes formas induat. Sed non est, unde hoc compertum habeat, cum neque ipse deam, quotiens commutata apparuerat, cognoverit neque Minerva vs. 299, ubi de ipsius auxiliis loquitur, commutationum mentionem facit. At poeta ex sua ipsius et eorum, qui legunt, sentiendi ratione et divinarum rerum notitia Ulixem de illis rebus loquentem facit! Fateor, sed istum in modum priscae aetatis poetae, quos adhuc perspeximus, non egerunt.

Pergit Ulixes se haud ignorare inter belli Trojani proelia deam sibi clementem fuisse, qua in re item fallitur, cum, si Iliadem perlustres, Minerva bis tantum cum Ulixe congrediatur, et ne hoc quidem inter pugnandum, sed in castris, ubi eum populos Agamemnonis oratione incitatos retinere jubet (B 155—182), et postea praeconis forma induta milites alta voce compellat (B 279—82). Atque ne ex his quidem locis commutationum notitiam sibi

comparare poterat, cum Minerva illic alienam formam non indueret, hic ab Ulixe, ut videtur, non cognosceretur. Deinde Ulixes queritur, quod post Trojam expugnatam deam non iam aspexerit neque navem secum conscendentem viderit; conscendit quidem Minerva in libro β Telemachi navem atque ignota, quod Mentoris formam induit, inter mortales versatur; sed non liquet, quomodo Ulixes in animum induxerit deam navem conscensuram ipsique cognitam secum iter facturam esse, praesertim cum de Telemachi expeditione nihil compertum habeat.

Denique addit sese tum demum deam aspexisse, cum in Phaeacum terra se in urbem introduceret et animum adderet; qua in re denuo quaerimus, unde sciat, quoniam Minervae veram naturam non perspexerat (η 19—81). Hanc vero offensionem Aristarchus sustulit, cum vs. 320—23 eliminaret (cfr. schol. 320, Apollon. π. ἀντων. pg. 139); vs. 320/21 certe optimo jure, cum sententiarum compagem interrumpant;[11]) versus autem 322/23 si eliminat, etiam vs. 319 reiciendus est, qui similes ineptias continet. Atque re vera Wilamovitz (pg. 105) versus 319—23 includit, cum Kirchhoff (pg. 498), quia hanc partem non ab eo, qui Phaeacum fabulam concepit, compositam censet, vs. 322/23 retineat, sed ad versus a Wilamovitzio reiectos etiam vs. 318 addat. Verum enim vero etiam in praecedentibus versibus non pauca invenimus, quae cum rebus rerumque natura et indole non consentiebant, velut vs. 301. 302. 305. 313. 314/15, quos, si versus 318—23 eliminemus, eodum jure includere opus est; hoc vero propter sententiarum compagem aliter fieri nequit, ac si omnino vs. 299—305 et 312—23

---

[11]) De pronomine ἧσιν pro ἐμῆσιν (320) cfr. Brugmann, ein Problem der hom. Textkritik, Lpz. 1876; Kammeri recensionem in Fleckeiseni annall. 115 pg. 649, cui Br. respondit in eisdem annalibus 117 pg. 433. Praeterea cfr. Ad. Dryoff, Geschichte des Pronom. reflex. Abt. I, von Homer bis zur attischen Prosa, Würzb. 1892. Nos de hac re copiosius agere et supervacaneum duximus, quod vs. 320/21 interpolatos esse argumento vel supra allato comprobatur, et inutile, quod de isto pronominis reflexivi usu Homerico, ut Horatii verbis utar, adhuc sub iudice lis est.

uncis includamus. His autem omnibus inclusis textum bene continuatum lacuna interrumperemus, quod facere eo minus licet, quo magis intellegimus omnem fere epiphaniam ν^2 eiusmodi ineptiis, quibus in versibb. 318 sq. offendebamur, aspersam esse. Verum si omnes versus, quibus offendimur, eliminare non possumus, certe non licet nonnullos reicere, reliquos retinere. Facere igitur non possumus, quin censeamus eundem poetam, qui vs. 301. 302 similes composuit, eundem etiam vs. 319—23 concepisse, scilicet exceptis versibb. 320/21, qui sententiarum compagem perturbant.

De causa, qua permota Minerva rebus se admisceat, hoc loco bene accidit, ut, cur venerit, ipsa explicet: dicit enim se accessisse, ut cum Ulixe consilium ineat, dona Phaeacum occulat, eum de injuriis, quae domi manent, certiorem faciat (303—10), quae variae causae varias offensiones et dubitationes movent. Primum eo offendimur, quod Ulixes in vs. 312—28, quibus Minervae explicationi respondet, illorum consiliorum, praesertim procorum injuriarum mentionem non facit, sed postquam se excusavit, quod eam non cognoverit (312—23 respond. 299 sq.), plane de improviso deam obsecrat, num re vera in patriam reverterit. Hoc vero ab ipso poeta ita instructum esse inde intellegitur, quod versus 312 sq. et Minervae verbis respondent et inter se ita coniuncti sunt, ut neque lacunam neque interpolatos versus (praeter 320/21) statuere oporteat. Neque versuum 324—28 eliminatione offensionem tollere licet, cum vel alio in loco aptius non collocentur et Minerva insequenti oratione eis respondeat (344 sq.). Quod postquam etiam hac in re poetae inertiam cognovimus, ad causas ipsas nos convertamus.

Minerva promittit cum Ulixe consilium se inituram esse, rem, ut videtur, satis suspensam et obscuram, sed quae offensionem non praebet. Praeterea sese praedicturam profitetur, quae injuriae domi eum maneant, quas omnes, quamvis graves, silentio ferre debeat. Haec omnia Ulixes, qui de procis nihil compertum habet, percipere et intellegere nequit, quam ob rem Wilamovitz (pg. 105) vs. 306—10 eli-

minavit. Sed causae, quas affert, ad includendum non sufficiunt: „βίας“ inquit „ὑποδέγμενος ἀνδρῶν ist überhaupt unverständlich“, minime, cum, qui res Ithacenses cognitas habet, intellegat, his verbis procos significari; „Die ganze Rede“ inquit „ist für die jetzige Situation viel zu detailliert“ concedo, sed copiosius, quam par est, scribere, huic poetae, cuius inertiam in uno quoque fere versu deprehendimus, levidense crimen est; „sie deckt sich inhaltlich“ inquit „mit ἵνα τοι σὺν μῆτιν ὑφήνω“ non ex omni parte recte, cum vocibus ‘μῆτιν ὑφαίνειν’ significetur „consilium, quid pro futuro faciendum sit“ inire, versibb. 306—10 autem et res Ithacenses adumbrantur, et, quomodo Ulixes eis utatur, praescribitur, quo fit, ut his versibus incertum illud ‘μῆτιν ὑφαίνειν’ aliquo sensu compleatur; denique „Odysseus“ inquit, „nimmt keine Rücksicht darauf“ certe quidem, sed etiam versus 303—5 non respicit. Eliminare igitur vs. 306—10 non licet, sed poetae inscitiae tribuendum est, quod non Ulixis sed eorum, qui legunt, rationem habet; namque hi res Ithacenses ex Telemachia satis compertas habent, ut, quae Minerva modo adumbrat, bene perspiciant. Sed utut res se habet, causis ipsis adhuc nondum offendebamur, quia re vera deae auxilio opus est, ut Ulixes solus contra satis multos procos violentos dominationem recuperet.

Tertium vero, quo Minerva, ut intercedat, sese commotam profitetur, divino auxilio plane indignum est, illud dico, quod Minerva cum Ulixe Phaeacum dona abscondere vult (cfr. schol. A ad Γ 423, B T ad Γ 424); dona enim in antro, quod bene noscebat (349 sq.), Ulixes, qui per totam hanc partem ut callidus et versutus laudibus effertur, solus vel sine deae auxilio poterat condere. Quod vero poeta hoc loco Minervam dona curantem facit, nulla alia de causa videtur factum esse, quam quod ipse talibus rebus vehementer delectabatur; postea enim dona omnino nullius momenti sunt. Hic autem mirum quantum de prioris partis interpolationibus certiores fimus. Namque verisimillimum est vs. 200—208 et 215—19, quibus praecipue propter donorum ineptam et verbosam mentionem offendebamur, ab hoc nostro, qui item dona non in loco gravissimi facit mo-

menti, interpolatos esse, cum displiceret, quod Ulixes reversus de donis omnino non verba faciebat. In versibus quidem ipsis nihil inest, quod huic coniecturae obstet, neque ab hujus indole et arte alienum videtur eiusmodi interpolationes, quae cum rebus ipsis non plane consentiant, inseruisse.

Verum enim vero postquam causas intercedendi, quas dea profert, perlustravimus, quaerere opus est, num re vera, quae sibi proposuit, perfecerit. Cognoscimus autem deam proposita recte consequi; namque dona in antro deponit (366 sq.), una cum Ulixe consilium init, cuius summa est, ut ille in mendicum commutatus ad Eumaeum devertat (397 sq.), denique Minerva eum de rebus Ithacensibus certiorem facit (376 sq.).

Ista quidem bene se habent, verum miramur, quod Minerva praeter ea, quae proposita habere profitetur, etiam aliam rem et eam gravissimam molitur, cui insuper in hac epiphaniae parte locus non est: nebulis enim diffusis Ulixi patriam ostendit (324—29, 344—60). Nunc vero intellexi-mus libri ν priorem partem non ad finem perductam esse, cum Minerva nebulas non removisset; hac autem in posteriore parte cognovimus, et vs. 324—28, quamquam ab ipso poeta, tamen male in suo loco collocatos esse, neque Minervam, cum proposita enumeret, nebulae diffundendae rationem habere. Itaque verisimile videtur vs. 324—29 + 344—60, qui quidem inter se optima sententiarum compage continentur, e priore parte, cuius ferme in fine eos collocaverim, ab hoc nostro in ipsius carmen insertos esse. Quod ut comprobemus, demonstrare opus est hos versus eadem arte conceptos esse, quam in epiphania ν^1 admirabamur, et offensionibus vacare, quas in epiphania ν^2 persaepe deprehendimus. Atque re vera ingeniosissima arte poeta Minervam nebulas diffundentem facit. Namque dea, cum unumquemque locum nominatim appellat, singulos in Ulixis mentem revocat, et ille, qui antea, cum anxius circumspiceret, patriam non agnovit, nunc, cum dea propitia Phorcynis portum, Nympharum antrum, Neritum montem tamquam digito monstrat, locos recognoscit, ubi ante hos vi-

ginti annos versabatur. Summa autem artis in eo posita est, quod poeta rem ita instruxit, ut, qui audiunt, unumquemque locum, ubi primum nominatim appellatus est, e nebulis tamquam emergentem videre existiment (cfr. schol. Q ad ν 352). Praeterea summa admiratione dignum est, qua arte poeta Ulixem bis patriam cognoscentem, bis cognita gaudentem fecerit. Etenim adulescens primum ab Ulixe interrogatus, cum insulae laudes ac praestantiam refert, nomen ipsum postremis demum verbis addit; ille vero, ubi nomen audivit, vehementi gaudio commovetur. Sed nihilominus subito gaudio represso in dubitationem recidit, cum nebulis nondum diffusis locorum nihil agnoscat, qua re iterum mora quaedam rebus affertur, quod artificium non nisi in Phaeacum fabula exstat (cfr. pg. 36. 47). Tum vero in summo exspectationis, gaudii, dubitationis discrimine ad adulescentis genua projectus (231) per patrem obsecrat, num re vera in patriam redierit. Vides igitur artem, qua haec pars conscripta est, toto coelo, quod aiunt, ab inertia eius, qui epiphaniam ν^2 concepit, differre, cum ingenio eius, qui priorem partem fecit, plane respondeat.

Verum tamen, si vs. ν 324—29 + 344—60 ab epiphaniae ν^1 poeta h. e. prisca aetate concepti sunt, ex eis, quae supra priscorum temporum propria cognovimus, fieri non potest, quin Minerva incognita cum Ulixe colloquatur. Et re vera e versibus ipsis intellegitur deam non cognitam esse. Namque ineptissimum est, quod Ulixes, qui, cum adulescentis verba perciperet, vehementer gaudebat, tum, cum cognovit sibi cum dea, cuius tutela semper fruebatur, rem esse, quod tum deae verbis fidem non adhibet; haec enim praesertim ex eis, quae vs. 300 sq. (*ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίσταμαι κτλ. νῦν αὖ δεῦρ' ἱκόμην κτλ.*) et vs. 313 sq. (*εὖ οἶδα ὅτι μοι πάρος ἠπίη ἦσθα κτλ. Φαιήκων ἐν δήμῳ θάρσυνας καὶ ἐς πόλιν ἤγαγες αὐτή*) narrantur, in suspicionem incidere non potest, ne Ulixem irrideat aut mendaciis fallat, et eo, quod Ulixes vs. 326 profitetur, timere se ne ab illa irrideatur, solum comprobatur, omnes hos versus hunc in locum male collocatos esse. Si vero Ulixes divinum adulescentem (cfr. pg. 33) affatur, omnia, ut supra demonstravimus,

sine ulla offensione optime se habent. Praeterea ineptum est, quod Ulixes Minervam per patrem obsecrat, cuius rei exemplum apud Homerum, ut fieri convenit, nusquam invenitur; quis est enim, qui deos per eorum patres obtestetur? Si autem Ulixes adulescentem per patrem eius obsecrat, more illorum temporum usitatissimo utitur (cfr. *X* 338. 345, *Ω* 371. 486, *λ* 66). Denique Ulixes, ubi cognovit se re vera Ithacae esse, deae propitiae non gratias agit, sed terram patriam osculans nymphis imprecationem et libationem promittit, quod quidem, si deam agnovisset, non solum ingratum, imprudens, inurbanum, verum etiam plane perversum esset.

At apponit „siquidem Minerva meque filiumque salvum faciat (359)". Concedo, sed cum hoc addit, Minervae non solum non gratias agit, verum auxilium eius etiam in futura tempora sibi poscit, qua re ingratiam impudentia auget. Tantum autem abest, ut hic noster in eiusmodi vitium incidat, ut versibb. 359/60 Ulixis orationem venustissimo artificio exornaverit. Ulixes enim, qui deam neque apud Phaeaces sibi auxilio venisse neque nunc sibi adstare compertum habet, nihilominus, ut est pius erga superos, postquam, ut fas est, nymphas patrias imprecatus est, etiam deam, cuius sub tutela se haud ignorat esse, non obliviscitur. Audientes vero, qui Minervam adesse sciunt, et dea ipsa quomodo eiusmodi fere inconsulta veneratione delectati sint, intellegas e simili loco P 544—73, ubi Minerva, quae incognita Phoenicis forma induta cum Menelao colloquitur, vehementer gaudet, quod ab eo prima invocata est (P 567/68), similemque in modum gaudet (*γ* 52), quod Pisistratus sibi primae calicem ad libationem praebeat. In universum autem ex eo, quod vs. *ν* 324—29 + 344—60 neque in posteriore libri *ν* parte bene collocati sunt et summa arte instructi ingenium eius, qui epiphaniam ν^1 concepit, resipiunt, demonstrasse mihi videor eos priori parti tribuendos, sed ab eo, qui epiphaniam ν^2 conscripsit, in suum contextum receptos esse.

Praeter hos versus relinquitur, ut de versibb. 412—28 et 440 verba faciamus, ubi Minerva cum Ulixe Telemachi

expeditionem communicat, quod idem inter causas, cur Minerva se immisceat, non enumeratur. Atque, ut ex vs. 440 apparet, ubi Minerva, ut Telemachum arcessat, abit, hi versus ab eodem compositi sunt, qui libri δ finem et libri ο initium conscripsit; hunc vero recentissimis temporibus Telemachiam cum Odyssea coniunxisse et Kirchhoff (pg. 120. 492. 502 sq.) et Wilamovitz (I 5) ita comprobaverunt, ut eorum rationes repetere supersedere possim. Nostra maxime interest, quod praeter argumenta ab illis allata etiam e rebus divinis efficitur, ut vs. 412 sq. recentissimae aetati tribuendi sint. Minerva enim, cum Telemachum tranquillum apud Menelaum sedere dicit (ἔκηλος ἧσται 423 sq.), non curat, quod Telemachus ipse (δ 594 sq.), ut fas est, magna cum festinatione reditum poscit (cfr. Kayser, pg. 38). Praeterea et dea et Ulixes divinam auctoritatem plane neglegunt et despiciunt: hic enim, ubi Telemachum profectum esse audit, Minervam satis gravibus verbis increpat. Dea autem non modo hominis mortalis impietatem non restringit, verum adeo dignitatis suae immemor est, ut sese excuset, cum rationes, quibus permota sit, addat. Videmus igitur divinas humanasque res ita perversas, ut mortales majore auctoritate quam dei utantur.

Iam vero postquam causas, quibus permota Minerva sese admiscuerit, tractavimus, perquirere oportet, qua via ac ratione proposita perfecerit, vel ut accuratius dicam, quomodo cum Ulixe consilium inierit, res Ithacenses communicaverit, dona occultaverit. Ut ab hoc initium faciamus: Minerva latebras perscrutatur (366), per quas Ulixes dona bene disponit (370), postremo lapidem in antri ostio collocat; provincia igitur sua, siquidem dona tanti existimat, ut ipsa ea abscondenda curet, non male fungitur. Quod consilium capiendum attinet, primum eo offendimur, quod res fert, ut dea, quae factura est, antea cum Ulixe communicet, cum alias dei non nisi in discrimine rerum de improviso intercedant, ut ex Telemachia et Phaeacum fabula cognovimus. Tum vero satis mirum est, quod Minerva, cum dei alias ipsi consilia capiant, in libro ν[2] se una cum Ulixe consilium inituram esse plus semel profitetur (ἵνα τοι

σὺν μῆτιν ὑφήνω 303, αὐτοὶ φράζωμεθ' ὅπως ἄριστα γένηται 365, Ὀδυσσεῦ φράζεν ὅπως χεῖρας ἐφήσεις 376 cfr. 439). Quorum utroque argumento comprobatur poetam animo sibi non excogitavisse deis dirigendum et praecipiendum esse, quid homines faciant, sed Ulixem et Minervam tamquam pares inter se et sodales finxisse. In consiliis ipsis duas partes distinguimus, non eodem modo a poeta compositas, quae quidem non continua oratione exponuntur, sed circiter centum versibus intermissis dirimuntur. Altera parte (306—10) Minerva Ulixem hominum violentorum injurias silentio ferre jubet, quod cum facit, in duplices nec non leves ineptias incurrit; nam consilium cum tenui rerum Ithacensium descriptione ita coniungit, ut utrumque satis obscurum relinquat, quo accedit, quod satis perverse, cum intercedendi causas enumerat, de consiliis ipsis verba facit. Altera vero parte (397—411 + 429—39) Ulixi satis apertis et distinctis verbis exponit, sese eum in hominem mendicum commutaturam esse, et praescribit, ut ad Eumaeum se conferat, ex quo de rebus Ithacensibus certior fiat. Hac vero in parte non offendimur nisi eo, quod poeta, qui Minervae consilium adhuc bene explanavit et commutationem ipsam non sine arte depinxit, quod hic addere neglexit, cur omnino commutatione opus esset. Qua de re Kirchhoff (pg. 499) et Wilamovitz (pg. 104) recte videntur coniecisse ab eo, qui vs. 412—428 et 440 interpolavit, nonnullos versus oppressos esse, qui commutationis usum et rationem continuissent. Maximi autem momenti est, quod idem poeta, cuius inscitiam semper fere reprehendimus, in hac parte res satis diligenter et distincte exponit.

Tertium Minerva Ulixem de rebus Ithacensibus certiorem facit, ita quidem, ut non continua oratione omnia enarret, sed passim locis dispersis (306—10, 335 sq., 377—81) quae docere vult, magis adumbret quam exponat. Itaque Ulixes initio audit homines violentos sibi injurias parare (306. 310), quod quidem intellegere non potest. Tum Minerva, cum prudentiam eius laudibus effert, obiter perstringit Penelopen in thalamo lacrimas fundere eiusque reditum desiderare. Hos autem versus (333—38) et Alexan-

drini (cfr. schol. H Q) et recentiores, velut Kirchhoff (pg. 498) et Wilamovitz (pg. 106), uncis incluserunt, recte, ut videtur, cum res futurae ita praenuntientur, ut ei, qui extremos libros nondum perlegit, plane falsae et ineptae videantur. Versus autem inde coorti sunt, quod interpolator, quem in epiphania ν^2 Ulixis prudentiam maximi momenti haberi non fugiebat, eandem prudentiam exemplo ex insequentibus libris capto comprobare voluit. Deinde vs. 375—81 *ὡς ἐν παρόδῳ* enarrat Minerva procos vel tertium annum regiam obsessam habere, verum Penelopen fidem ei servasse; et hoc satis iners et compressum, sed non falsum. Denique vs. 391 sq. res Ithacenses tamquam bene cognitae commemorantur, ut Ulixes ipse vs. 383 gaudet, quod dea sibi omnia *κατὰ μοῖραν* rettulerit. In universum autem judicandum est poetam, cum res Ithacenses Minervam referentem faceret, artem semper defecisse. Quamquam enim Ulixes ante hos septem annos a Tiresia comperit (λ 115—120), sibi domum reverso violentos viros, qui rerum potiti essent, interficiendos esse, tamen hoc loco, ubi Minerva res domesticas cum eo communicat, poeta copiosius verba facere debuit. Hic vero non nisi ea de causa omisit, ne longus fieret, cum in Telemachia omnia exposita esse sciret.

Denique ad ea argumenta transeamus, quae ad judicium de rebus divinis ferendum semper maxime valuisse vidimus, rationem dico, qua dei cum hominibus, hi cum coelestibus colloquantur, quarum utraque ex re etiam optime perspicitur, quomodo poeta ipse de deis senserit. Summa autem rei in eo posita est, quod dei priscis temporibus ipsorum auctoritatem diligenter respiciunt, quam recentiore aetate plane neglegunt. Iam vero in epiphania ν^2 poeta ipse ostendit, sese hominem et deam quodammodo pares putare; cum dicit '*τὼ δὲ καθεζομένω φραζέσθην ὅλεθρον* (372 sq.)' atque '*τὼ γ' ὡς βουλεύσαντε διέτμαγεν* (439=A 531)', quocum consentit, quod Minervam Ulixis sententiam facit rogantem (375 sq.). Neque Minerva aut dignitatem aut potentiam suam magni momenti videtur facere; dignitatem, quod vel donis abscondendis operam dat, potentiam, quod et Neptuni timore impeditur, quominus

Ulixi auxilio veniat (341), et eum irridet vel increpat, quia commutatam non cognovit (299): sapientes enim vel deam commutatam cognoscere posse (313). Denique deam non videtur decere, quod et Ulixem (291 sq. 297. 330 sq.) et se ipsam (289 sq. 300 sq. 305. 393 sq.) summis laudibus effert.

Quae cum ita sint, non miraberis, quod Ulixes quoque divinam auctoritatem haud ita respicit, veluti ubi primum deam cognovit, divinum numen non reveretur, sed magis videtur aegre ferre, quod deam non agnovit. Eodem referendum est, quod hic poeta versus, ubi Minerva nebulas removet, ita in ipsius carmen inseruit, ut Ulixes, qui supra adulescentis verbis fidem adhibuit, deae diffidat. Praeterea Ulixes de rebus divinis plura, quam fas est, comperta habet, veluti deam sibi animum inflare jubet (387), quod quidem dei non raro faciunt, sed nunquam hunc in modum, ut mortales animos divinitus sibi esse additos pro certo sciant.[12]) Sed quamquam et Minerva et Ulixes eis, quae dicunt et faciunt, demonstrant sese divinam auctoritatem non multi momenti facere, tamen poeta aperte studuit, ut res divinas aliquo pondere premeret; namque eo referendum est, quod Minerva tantis laudibus et ab ipsa (289 sq. 300 sq. 305. 393 sq.) et ab Ulixe effertur (312), quod vel res, quibus se re vera non admiscuit, dicitur perfecisse (301. 305. 315).

Nunc vero quaestio exsistit subdifficilis, num poetam, qui epiphaniam ν^2 concepit, eisdem temporibus atque epiphaniam ν^1 tribuamus, vel ut aliis verbis utar, num epiphaniae ν^1 et ν^2 ab eodem poeta conceptae altera alteram excipiant. Quae res ideo difficillima est dijudicatu, quod argumenta priscae et recentioris aetatis, vitia ac laudes commixta inveniuntur. Namque si rationem, qua hic noster posteriorem partem instruxit, respicias, omnia sibi de suo

---

[12]) Hac re demonstratur, versus 383—391 non priscos esse; quam ob rem Wilamovitz fallitur, cum prisco versu 385 (ἕκαστα κατὰ μοῖραν) nisus vs. 375—81 ab redactore verbosae Minervae orationis instar, quam oppressit, interiectos putat (pg. 107).

excogitavit operamque navavit, ut, quae nova constituit, ad finem perduceret. Itaque formam sibi excogitavit, qua induta Minerva cum Ulixe colloqueretur, excogitavit consilium, ut Ulixes in hominem mendicum commutaretur; praeterea Phaeacum dona gravissimi momenti fecit atque, ut Ulixis versutiam quam maxime efferret, studuit. Quid multa? luce clarius apparet ipsum res sibi excogitavisse, excogitatas certa ratione descripsisse. Hoc vero, ut rerum natura fert, semper apud priscos, nunquam apud recentiores poetas invenimus. Verum si perlustramus, qua arte proposita perfecerit, nonnulla bene, plurima perverse depicta videmus. Bene descripsit, quomodo Minerva cum Ulixe commutationis consilium communicet ipsumque in hominem mendicum commutet. Sed ex altera parte non raro neglegentissimum se praebet. Neglegit enim locorum sensum, cum in priorem partem versus inserit, quibus Phaeacum dona non apte commemorantur, neglegit res ipsas, cum Ulixem vel Minervam falsa narrantes facit (301. 302. 305. 314 sq. 318. 322), neglegit sermonem, cum pronomen omittit (207) aut verbis perperam utitur (254), quin etiam sententiarum compagem neglegit, cum Ulixem eis, quae Minerva dicit, interdum non respondentem facit, quo fit, ut dea verba plane irrita videatur protulisse. Gravissimum autem vitium committit, cum, quae Minervam narrantem facit, non ad ea, quae Ulixes, sed ad ea, quae et ipse et legentes comperta habent, exaptat, qua re ita inertem et amentem se praebet, ut inter recentissimos interpolatores optimo jure numerandus videatur. Neque minus in divinis rebus depingendis secum ipso dissentit, cum divinam auctoritatem modo neglegit, modo summo pondere premit. Habemus igitur haud pauca recentissimae aetatis argumenta.

Unde ista dissensio gravissima coorta est? An existimandus est poeta, qui haud pauca non sine arte enarravit, idem sua sponte tot tantaque vitia committere? Neque eum propterea, quod saepenumero neglegentem se praebuit, a principio recentissimis temporibus tribuere licet, quippe qui aliis in locis manifesto fabulae bene enarrandae operam navavit.

Nunc vero maxima pars offensionum continetur versibus 291—396, quibus et de rebus temporibusque praeteritis et de rebus Ithacensibus verba fiunt, eiusdemque generis offensiones in vs. 200—208, 215—219 invenimus, quos ab hoc nostro in epiphaniam ν^1 insertos cognovimus. Ex altera autem parte intelleximus epiphaniam ν^1 non ad finem perductam essè, quin etiam vs. 324—29 + 344—60, qui ad epiphaniam ν^1 pertinent et eandem artem resipiunt, in posteriorem partem insertos esse. Quodsi fingamus epiphaniam ν^1 et ν^2 a diversis poetis compositas esse, primum facile explicabitur, unde illae ineptiae, quibus offendebamur, coortae sint: Is qui Phaeacum fabulam continuavit, cum sortes Ulixis reversi enarraret, illum poetam ita excepit, ut eius conclusionem opprimeret nonnullosque versus, velut 324 sq. 344 sq., in suum carmen reciperet. Verisimile autem est, eum non solum, ut illos versus verum etiam omnino quam plurimos retineret, studuisse, qua in re ars eum non minus defecit quam in istis versibus recipiendis. Hac de causa factum videtur, ut res Ithacenses inerti cum brevitate modo adumbraret. Namque qui libros ε—μ, ubi Ulixis errores enarrantur, epiphania ν^1 concludit, res Ithacenses non nisi obiter perstringere debebat, quia hic uno Tiresiae vaticinio excepto (λ 115—20) solo de Ulixis reditu agitur (cfr. ε 41 sq. 114 sq. 153. 220, η 151. 193. 223 sq. 320. 333, ϑ 156. 466, ι 97. 261, $\varkappa$ 29. 49. 66. 416. 420. 472. 484 sq.); quin etiam in omnibus illis libris rerum Ithacensium nunquam mentio fit, sed poeta rem ita instruxit, ut, qui legunt, existiment omnia ad felicem exitum perducta esse, si modo Ulixes domum reverterit. Itaque verisimile est priscum poetam, postquam Ulixes rediit patriamque cognovit, Minervam paucis verbis de rebus Ithacensibus — quae quidem etsi versibus non inclusi tamen memoria ferebantur (cfr. vatic. Tires.) — disserentem felicemque exitum praenuntiantem fecisse, cuius orationis specimina direpta nimirum et variata versibb. 377—81 et 393—96 exstant. Hic vero noster, qui res Ithacenses aperte et distincte exponere debebat, obscura brevitate usus est, cum nimium prisci poetae verbis adhaereret, quod fortassis

eo libentius fecit, quia audientes eas ex Telemachia cognitas habere sciebat.

Ulixis autem errores solo reditu concludere ideo licebat, quod ea aetate, ubi Phaeacum fabula componebatur, Telemachia nondum versibus inclusa exstabat, ut his temporibus viri docti omnes fere existimant, e quibus Wilamovitzium et Kirchhoffium nominare satis est. Neque idem cum artis ratione et praescriptis dissentit, ut Kirchhoff (pg. 237) summa cum elegantia docuit: Mit diesem Vers (187 = mit der Heimkehr des Od.) gelangte meiner Ansicht nach der alte Nostos zu seinem Abschluss. Erfüllt ist alles, was in der Disposition der Handlung versprochen war und ihr gemäss erwartet werden konnte: Der Held hat endlich die Heimat erreicht, der Fluch des Cyclopen ist in Erfüllung gegangen, allein und auf fremdem Schiffe sieht der Wegemüde Ithaka wieder: aber Poseidons Groll ist besänftigt. Zwar warten des Helden in der Zukunft noch weitere Fährlichkeiten, aber Tiresias' Weissagung hat ihn und uns darüber beruhigt, es wird alles zu fröhlichem Ausgang gedeihen . . . . . Ich halte diesen Schluss nicht nur für angemessen, sondern auch für schön und poetisch; wenn behauptet worden ist, dass in dieser Weise eine Dichtung unmöglich schliessen könne, so gestehe ich offen, für ein solches Urteil ein Verständnis nicht zu haben." Haec quidem Kirchhoff. Nos vero censemus, vel ex illis dissensionibus, quae neque conjecturis tolli neque alium in modum explanari possunt, apparere, ut epiphaniae ν^1 et ν^2 a diversis poetis compositae sint.

Verum etiam, si solam epiphaniam ν^2 respicimus, manifestum fit eam priscae aetati, qua epiphania ν^1 concepta est, tribuendam non esse. Sed ad poetae ingenium et tempora, quibus fuerit, cognoscenda imprimis ea respicienda sunt, quae ab ipso et inventa et instructa esse scimus, cum eos locos, ubi prioris partis imitatione in offensionem incidit, minoris momenti faciamus. E divinis autem rebus, quarum nostra maxime interest, ipsi tribuenda sunt ea, quae non semel tantum, sed saepius alicuius momenti fiunt, veluti Phaeacum dona et Ulixis et Minervae prudentia, vel,

ut aliis verbis utar, quod Minerva et dona abscondit et Ulixis prudentiam laudibus effert, et quod deae potentia et auctoritas gravissimis verbis premitur. Huc accedit operosae mulieris forma, cui in prisca epiphania locus non erat et Ulixis commutatio, quam hic noster de suo excogitavit.

Ista vero argumenta prorsus sufficiunt ad hujus poetae tempora constituenda. Primum enim apparet epiphaniam ν^2 recentiori aetati, qua vs. χ 205—240 et ω 472—548 compositos intelleximus, minime attribuendam esse; nam cum illic dea quodammodo supervacanea plane neglegatur, hic auctoritas divina plurimum valet, et dea ipsa, quae certa de causa rebus se admiscuit, propositum consilium maximam partem bene exsequitur. Ex altera autem parte etiam priscis temporibus epiphaniam ν^2 coortam non esse apparet. Namque etsi omnes locos, qui in aliquam suspicionem vocantur, ne a prioris partis versibus utcumque pendeant, omittimus — et bene scimus e versibb. $\varkappa$ 277—308 (pg. 39), quantas in ineptias vel priscus poeta incidat, cum narrationem variet — tamen ex eis, quae ut hujus poetae propria supra exhibuimus, intellegitur eum divinae naturae recte expingendae vel sibi fingendae non eandem operam navasse, quam qui prisca aetate carmina componebant. Certe enim, si dea vilissimis rebus, velut donis abscondendis operam dat aut hominem mortalem summis laudibus effert, de auctoritate eius detrahitur. Atque si poeta rem ita instruxit, ut dea cognita cum hominibus colloquatur, quos divinorum consiliorum tamquam participes faciat, ostendit sese Minervae divinam naturam non tam curare quam consilia ipsa, quae satis diligenter describuntur. Itaque nihil relinquitur, nisi ut epiphaniam ν^2 temporibus tribuamus, quae inter prisca et recentiora media interposita sunt. Hujus vero aetatis, quam breviter mediam appellare liceat, naturam et indolem Wilamovitz optime significat, cum, ubi de ipso hoc loco verba facit (pg. 109), ei tribuit „eine erlahmende und deshalb stärkere Reizmittel anwendende (cfr. Ulixis commutationem) Phantasie (cfr. etiam B. Niese, pg. 151. 153. 157).

Sed non solum argumentis e rebus divinis promptis verum etiam aliis rebus comprobatur epiphaniam ν^2 inter

priscas et recentiores interpositam esse. Nam cum hi versus pro fundamento tamquam positi sint omnium partium, ubi Ulixes in hominem mendicum commutatus apparet, manifestum est eos maximae posteriorum librorum parti praecedere. Hos vero in libros cum epiphaniae χ 205—240 et ω 472 sq. ab interpolatore quodam insertae sint, libri ν posterior pars ante illas interpolationes composita est. Ex altera autem parte libri ν posteriores versus post Phaeacum fabulam et Telemachiam conceptos esse et ex compositione Odysseae apparet et inde intellegitur, quod in his versibus et Telemachia et Phaeacum fabula tanguntur (cfr. 318/19. 322/23. 302. 304. 342/43).

Comprobavimus igitur epiphanias ν^1 et ν^2 non ab eodem poeta conceptos esse, et istum optimum fructum e rerum divinarum contemplatione cepisse nobis videmur. Etenim quae de libro ν effecimus, et gravissimis argumentis confirmata et ipsa inquirendi ratione comprobata sunt. In argumentorum numero habuimus, quod uterque poeta diversa describendi arte utebatur, diversa sentiendi ratione in rebus divinis depingendis; quod alter alterius versus in suum carmen recepit, versus ab ipso conceptos in illius verba inseruit, quod alter, quae sibi maxime cordi erant, in alterius versus interpolavit, alterius carminis partem seiunctam in ipsius usum convertit; denique e sermone ac verborum usu probavimus alterum priscis, alterum recentioribus temporibus fuisse. Ipsa autem inquirendi ratione ea, quae effecimus, ideo comprobantur, quod opinione non praesumpta ad rem accessimus. Immo cum nullius viri docti in verba, ut Horatium sequamur, juraremus, solos versus ipsos recensuimus neque quidquam, nisi ea, quae ex ipsis verbis efficiebantur, in nostrum usum convertimus; quo facto nulla conjectura, nulla hypothesi irritabamur. Atque re vera, id quod maximi momenti est, ex nostra inquirendi ratione eum fructum cepimus, ut simplicem et unam rationem in libro ν cognosceremus. Non enim coacti sumus, ut versus interpolatos eiciamus, qui, unde coorti sint, non liquet, sed cognovimus e duobus poetis alterum alterum excepisse; hanc vero causam fuisse, ut sententiarum

compages non raro interrumperetur. Id vero, quod conjecturae eo magis comprobantur, quo simplicius rerum naturam explicant, id maximam spem facit ea, quae nos effecimus, cum rebus ipsis consentire.

§ 16.

Nunc vero ad vs. π 155—177 transeamus, ubi Minerva in Eumaei, qui Penelopen versus discessit, aulaeo commutatione paulisper sublata efficit, ut Ulixes a Telemacho cognoscatur. Minerva hoc loco eadem formosae mulieris forma utitur atque in libro ν, quae res non male instructa est. Nam poeta, cum deam cognitam agentem facere propositum haberet, Minervae optimo jure eam speciem induit, qua vel antea usus erat. [13]) Atque re vera ab Ulixe cognoscitur, sed non a Telemacho, „neque enim" poeta docet (161) „dei omnibus manifesti apparent." Hoc ex versu intellegimus poetam et rem satis diligenter sibi excogitasse neque non curasse, quam mira esset deae praesentia, praesertim cum superstitionis illius perantiquae mentionem faceret, ex qua canes res divinas prius quam homines sentirent, quae superstitio per satis multas gentes divulgata est. [14]) Causa,

---

[13]) Wilamovitz (pg. 89) vs. 157/58 (= ν 289/90) eliminandos censet, cum dicit Minervam in libro ν pastoris persona deposita feminae pulchrae et operosae specie, quem ad modum hominibus manifesta fiat, apparere. Verum in libro π deam personam non induere, formam igitur, quamquam, ut his versibus depingatur, animo fingenda sit, tamen hoc loco describendam non fuisse. Sed quae vir doctissimus docet, cum Homericorum carminum arte non consentiunt. Namque eam ipsam ob causam, quod forma deae ita, ut his versibus depingitur, fingenda est, etiam hoc loco describenda fuit, praesertim cum si formae, quibus dei appareant, non commemorentur, nos plane incerti relinquamur, quomodo immortales nobis fingamus. Accedit autem, quod hoc loco aperte ea forma, quam Minerva in epiphania ν^3 induit, significatur.

[14]) Cfr. A. Wuttke, der deutsche Volksaberglaube der Gegenwart, Hbg. 1860 § 40; Jac. Grimm, deutsche Mythologie II^2 pg. 632; Preller, römische Mythologie pg. 337. Commemoratione videtur dignum, quod in ea ipsa Odysseae parte, qua de Ulixe in mendicum commutato agitur, saepius de canum acie et sagacitate verba fiunt (cfr. ξ 29 sq. π 4 sq. 162. ϱ 291 sq. Wilam. pg. 88 Anmerkg.)

qua permota dea se rebus admiscet, justissima est, quia sine ejus auxilio omnino fieri non potuit, ut Ulixes Telemacho veram naturam ostenderet. Quis enim est, qui putet Telemachum mendico fidem adhibiturum fuisse, si patrem se esse praetendisset. [15]) Quae proposita habet, Minerva ratione et via exsequitur, cum Ulixem ante aulaei portam evocatum (164/65) certiorem facit tempus adesse, quo, quis sit, cum Telemacho communicet. Tum eadem virga atque in libro ν (429, π 172) contactum in priorem habitum et formam restituit, quae omnia, quamquam diligenter ac dilucide, tamen non verbose describuntur. Hoc enim tempore magis opus est, ut Ulixes cum Telemacho quam cum dea colloquium faciat. Itaque de auctoritate, qua poeta deam ornaverit, non multa sunt, quae afferantur, praesertim cum Ulixes ipse deae verbis nihil respondeat. Hoc quidem apparet, Minervam primum locum obtinere, cum ipsa et tempus constituat et facultatem faciat, ut Ulixes cognoscatur. Videmus igitur hunc poetam, qui rem bene excogitatam accurate depinxit, etiam divinae naturae diligenter rationem habuisse; quin etiam, nisi Minerva cognita cum Ulixe colloqueretur neque formam mulieris operosae induisset, non sine aliquo jure hos versus priscae aetati attribueremus.

At tamen, ut in epiphania ν², non desunt argumenta, quibus comprobatur, vs. π 155—177 priscis temporibus non esse conceptos. Primum poeta ratione, qua Minervam accedentem et abeuntem fecit, de ejus auctoritate detraxit: Etenim dea, quam Eumaeum a Telemacho dimissum esse non fugit, ejus recessu demum facultatem sibi factam videt, ut cum Ulixe congrediatur. Tantum igitur abest, ut, si velit, cum Ulixe commercium faciat, ut exspectet, dum homines occasionem dent; hoc vero non sine offensione legimus, cum deam ipsam deceat Eumaeum summovere non ad occasionem

---

[15]) Quod Ulixes postea et ab Euryclea et a Penelope, quamquam a Minerva in pristinam formam non restitutus agnoscitur, ad Odysseae argumentum aliter instructum respicit, de quo in hac dissertatione verba non sunt facienda.

quodammodo fortuitam recurrere. At vs. *o* 40 ipsa Telemachum jubet istum ad Penelopen dimittere! — Confiteor, sed cum vs. *o* 1—43 post vs. *π* 155—77 recentioribus temporibus compositi sint, quod infra demonstrabimus (pg. 76 sq.), vs. 40 secundum ea, quae vs. *π* 150 sq. fiunt, conceptus est. Quin etiam si versus o libri ante epiphaniam *π* libri compositi essent, hujus poetae inertia non minueretur nisi hoc uno, quod tum non poeta sed Minerva ipsa rem ita instruxisset, ut sibi, dum Eumaeus abiret, exspectandum esset. Deinde vs. 177 commemoratione dignus est, ubi Minerva, postquam Ulixem in integram formam restitutum ad filium dimisit, *πάλιν κίεν*, h. e. secessit; verum ad Olympum non rediit, quoniam vs. 455 denuo adest, quo accedit, quod in utroque versu de Olympo verba non fiunt. Nihil igitur relinquitur, nisi ut Minerva in terra iners commorata exspectaverit, dum Eumaeo redeunte Ulixem denuo in mendicum commutaret. Poetam vero, qui rem ita instruxit, divinam dignitatem non satis respexisse nemo negabit. In versibus *π* 454—59 autem, ubi alteram commutationem sibi paucis verbis solum adumbrandam esse recte intellexit, deam de terra discedentem vel in Olympum redeuntem facere plane oblitus est. Tum quod Minerva sese dimicandi cupidam profitetur (171), non cum divina natura, quae priscis temporibus depingitur, consentit. Dei enim, quos cum hominibus comminus fieri dedecet, in Iliade nonnullis locis librorum *E* et *Π* admodum recentibus exceptis non nisi exhortando hominum proeliis se admiscent, item in Odyssea, ut fas est, contra procos non pugnant. Denique poetae diligentiam in eo desideramus, quod Minerva Ulixi *φᾶρος εὐπλυνὲς ἠδὲ χιτῶνα* induit (173), quae unde sumpserit, non liquet.

In universum igitur, ut in ν^2, vitia ac laudes, argumenta priscae et recentioris aetatis commixta inveniuntur. Utramque igitur epiphaniam, ubi et Minerva eadem forma induta apparet et res divinae eodem modo sentiuntur et describuntur, e quibus praeterea altera alteram, in qua nititur, respicit, utramque eadem aetate ab eodem poeta conceptam contendimus. Quod ad comprobandum bona fortuna res haud levis momenti accedit. Namque eodem modo, quo in epiphaniis

ζ, η, ν[1] ex communi illo mystico colore verisimile factum est, ut isti loci ab eodem poeta concepti sint, eodem modo inter epiphanias ν[2] et π ea similitudo intercedit, quod in utraque, quae re vera facta aut narrata sunt, non diligenter observantur. Namque ut in posteriore libri ν parte de Minervae auxiliis complura narrantur, quae cum rebus ipsis non consentiunt, ita vs. 176 Ulixi 'κυανέαι γενειάδες' tribuuntur [16]), quamquam vs. ν 431 legimus eum flavis capillis ('ξανθὰς τρίχας') comptum fuisse.

§ 17.

Tertium Minerva forma mulieris, cui nomen non inditur, versibb. υ 30—55 utitur, ubi cum Ulixe noctu ante procorum caedem colloquitur; qui versus eo, quod dea ex Olympo devolat et illuc redit (30. 55), ab eis, quae antecedunt et subsequuntur, in modum ἐπεισοδίου, ut ita dicam, seclusi suavissime a poeta expicti sunt, quod idem et Wilamovitz (pg. 68) et Kirchhoff (pg. 526) censent.

Ulixem, qui gravibus curis insomnis premitur, Minerva, ut animum addat aggressa [17]) interrogat, cur insomnis jaceat, quamquam domum tandem reversus uxorem filiumque salvos constantes fideles offenderit. At ille „omnia", inquit,

---

[16]) Kammer (pg. 577) non recte vs. 175/76 tamquam interpolatos eliminat; neque enim interpolatoris est, si versus aliunde recipere possit, novis conceptis cum illis dissensionem efficere; praeterea voce πρῶτον (π 173), si non correlativa vox 'ἄψ', at tamen verbosior et copiosior descriptio desideratur. Offensiones vero, quas vir doctissimus affert, nullae sunt. Namque verba 'γναθμοὶ δὲ τάνυσθεν,' etsi singularia, tamen non inepta sunt; κακοφωνία, quae dicitur, verbis γένετο-ἐγένοντο, si versus clara voce legas, non efficitur, et verba ἐγένοντο γενειάδες ἀμφὶ γένειον aequo sono, quo Homerum valde gaudere multis exemplis probat La Roche (Acc. pg. 26 adn.), inter se sustinentur. Denique versus narrationis tenorem non interrumpunt, cum ex eis, quae antecedunt et subsequuntur, facile intellegatur, Minervam etiam, quae vs. 175/76 narrantur, conficere.

[17]) ὑπὲρ κεφαλῆς consistit, ut et somnia (Β 20, Ψ 68, ζ 21) et dei, qui ad hominum cubilia accedunt (Ω 682, δ 803 sed ο 9), facere solent.

„recte monuisti, sed nihilominus gravissimis laboro curis, quomodo ego unus contra magnam procorum multitudinem dimicem“ (37—44). Consolatur dea mitissimis verbis: non esse cur recedat aut metuat, etiamsi multo major procorum turma obstaret, quandoquidem potentissimae deae, a qua in periculis semper servatus sit, tutela fruatur (45 sq.). Haec locuta Ulixem miti sopore suffundit et avolat.

Omnia perbene enarrata sunt, dea justissima de causa cum Ulixe colloquitur, optime, quae sibi proposuit, exsequitur. Sed nihilominus praesertim ex hoc loco diligentissime a poeta exculto cognoscimus, quantum intersit inter rationem, qua res divinae priscis et posterioribus temporibus depinguntur. Namque Ulixes deam statim adgnoscit, cum cognita tamquam cum amica familiarissima colloquitur, ne verbo quidem commemorat, quanti momenti sit, si immortales ipsi homines consolentur. Minerva autem, quamquam divinam suam potentiam effert, tamen adversus Ulixem, cum veram naturam non respicit, amicam familiarem se praestat. Accedit, quod hi versus, ut epiphania π, similitudine quadam cum epiphania ν^2 conjunguntur, cum utroque in loco similiter Minervae potentia efferatur (ν 389—91 cfr. ν 49—51), utroque in loco commemoretur, deam in periculis Ulixem semper adjuvare (ν 301 cfr. ν 47[18]). Itaque versus ν 30—55 eidem aetati ac poetae adscribimus, qui epiphanias ν^2 et π conscripsit.

Sed quamquam aetatem hujus loci facile constituimus, tamen res nondum ad finem perducta est; namque in offensionem incidit, quod forma, quam Minerva induit, solis verbis ‘*δέμας δ' ἴκτο γυναικί*’ describitur, cum vs. *καλῇ τε μεγάλῃ τε κτλ.* omittatur, qui quidem reliquis mediae aetatis in locis exstat. Invenimus autem eandem tenuem formae

---

[18]) Hoc in versu (ν 47) poeta pronomen relativum singularem in modum post *διαμπερές* posuit, quod locum epiphaniae ν^2 repetere volebat et versum 46 ex Iliade (Σ 363) recepit, ut docet A. Gemoll (Hermes 1883 XVIII pg. 75). Idem ostendit (pg. 84) hunc nostrum, cum ad Iliadis versum Ψ 62 (= ν 56) vocem ‘*λυσιμελής*’ in insequenti versu adderet, voces ‘*λύων μελεδήματα*’ explanasse.

descriptionem in epiphania Φ 284—98, ubi de Neptuno et Minerva, qui Achilli Scamandri aquis fere oppresso auxilio veniunt, dicitur 'δέμας δ' ἄνδρεσσιν ἐΐκτην' (Φ 285). Hoc in loco, ubi dei ineptissime se gerunt, cum Achilli timore enecto vaticinium canant, ubi nihil omnino proficiunt, cum Scamander non eorum auxilio, sed Hephaesti flammis opprimatur (Φ 330 sq.), poeta manifesto per inertiam aut neglegentiam deorum formas paucis istis verbis descripsit. Sed inertiam et neglegentiam huic poetae crimini non faciamus, qui epiphaniam *v* suavissime et diligentissime expinxit. Itaque nihil relinquitur, nisi ut versum 'καλῇ τε κτλ.' ideo omisisse censeatur, quod et timebat, ne longus fieret, et consentaneum putabat unumquemque primo hemistichio audito 'δέμας δ' ἤϊκτο γυναικί' deae formam vel antea bis depictam animo recte sibi excogitaturum esse. Hac autem re iterum comprobatur hunc poetam cum versus *v* 30—55 tum epiphanias ν^2 et π concepisse; neque enim verisimile videtur alium quendam poetam in eiusmodi cogitationes incidisse, neque Homericorum poetarum mos est, ut, si quis alterius cuiusdam descriptiones recipiat, paucis contentus sit, cum omnia ipsius versibus inserere liceat.[19])

§ 18.

Iam vero ad eos locos nos convertamus, ubi divini homines nominibus non appellantur, sed solum de negotio vel arte, quam exercent, significantur. Hujusmodi epiphaniae in Odyssea duae tantum occurrunt, vs. ϑ 7—15 et 193—99, de quibus coniunctis verba facere liceat, cum eadem Odysseae parte contineantur, eadem dea rebus se admisceat. Versibb. ϑ 7—15 (quos littera ϑ^1 significare liceat, alterum locum littera ϑ^2), Minerva praeconis forma induta Phaeaces ad contionem convocat; versibb. 193—99 in hominem com-

[19]) vs. 41—43, qui quidem ad nostram quaestionem nihil valent, ab eodem, qui extremam nostrae Odysseae partem concepit, interpolatos esse Kirchhoff mea quidem sententia recte coniecit (pg. 526).

mutata, qui, quantum juvenes inter ludendum lapides vel discos projecerint, indicat, Ulixem omnium longissime lapidem propulisse alta voce proclamat.

Uterque locus dubitationibus non vacat. In ϑ^1 eo, quod Minerva praeconis formam induit, non offendimur, quia praecones apud Homerum, ut erant ingenui, non raro honore florebant (cfr. Kostka, de praeconibb. Homericis, Lyck 1844), sed quod huic praeconi nomen non imponitur, certe animadversione dignum est. Verum est, virgini, cujus formam Minerva cum Ulixe congressura induit, nomen item non imponi (η 19 sq.); at certissima de causa: Ulixes enim inter Phaeaces neminem cognitum habebat (pg. 33.). Idem vero poeta, cum Minervam amicae sub specie Nausicaae apparentem faceret, nomen sibi excogitavit, quippe qui recte intellexit amicae nomen ut Nausicaae ita audientibus cognitum esse debere (pg. 32). Hic vero noster, cur praeconis nomen omiserit, non patet; consentaneum enim est Phaeacum reges ipsorum praeconem certo nomine appellasse, quin etiam nomen eius (Pontonous η 178 et saep.) aliis in locis non raro commemoratur. Causa, cur Minerva se admiscuerit, in epiphania ϑ^1 ab ipso poeta explicata est (vs. 9 *νόστον Ὀδυσῆι μητιόωσα*): est quidem iustissima, cum per totam Odysseae priorem partem Minerva id unum agat, ut Ulixi reditum comparet; sed quomodo eis, quae hoc in loco molitur, reditum acceleret, omnino non liquet. Certe opus erat Phaeacum contionem convocare, ubi de Ulixis reditu deliberaretur, sed vel vs. η 189 sq. Alcinous populum se convocaturum promittit, atque in libri ϑ initio una cum Ulixe in forum se confert, quorum utrumque sine dea fit. Quid igitur divino auxilio opus est? Omnino nihil; Phaeaces enim, etiam a Minerva non convocatos, conventuros fuisse nemo negabit. — Altero in loco, ubi Minerva non minus supervacaneam se praebet, poeta ne causam quidem intercedendi addidit, fortassis ideo, quod omnis ratio plane deest. Nam cum Phaeaces vs. 35 sq. constituissent, ut Ulixem navi domum dimitterent, neque ludi neque Ulixis victoria, quibus, ut concedo, hospitum animos sibi conciliare poterat, ad reditum eius quidquam valebant. Verum eodem modo, quo lu-

di ad Ulixis reditum nihil valent, id, quod Minerva victoriam conclamat, ne ad ludos quidem ipsos alicuius momenti est, quo accedit, quod cum divina auctoritate non consentit, si dei hominum vel ludis intercedunt (cfr. libri ψ recentissimi vs. 383 sq.). Praeterea poetae neglegentia inde apparet, quod in neutra epiphania deam accedere aut abire adnotat, quo fit, ut tamquam consentaneum videatur eam in terrà commoratam ab Ulixis latere pendere. Haec autem neglegentia, quae in Iliade non offensioni est, ubi inter terram et Olympum satis detrita est via, cum dique deaeque frequentissime ultro citroque cursent, in Odyssea, ubi deorum numero minuto vis et auctoritas permulto gravior est, bene animadvertenda est, praesertim in Phaeacum fabula, cujus reliquas epiphanias maxima cum diligentia expictas cognovimus. Sed quid opus est verbis? Ex eo, quod Minervae et auctoritas nulla et auxilium ineptum et supervacaneum est, luce clarius efficitur, ut utraque libri ϑ epiphania recentiore aetate composita sit.

Exstant autem alia argumenta, quibus confirmatur has epiphanias recentioribus temporibus esse tribuendas. Velut vs. 4 (*τοῖσιν δ' ἡγεμόνευε*) vox *τοῖσιν* inepta est; nam cum solis de Ulixe et Alcinoo agatur (vs. 2. 3. 6), si Alcinous praecedebat, non dicendum erat '*τοῖσιν*' sed '*τῷ*', quoniam uni Ulixi praeibat; accedit autem, quod satis friget oratio, si quis de duobus hominibus, qui una incedunt, dicit alterum alteri praeire. — vs. 7 voce *πλησίον* offendimur. '*πλησίον*', quod plerumque cum dativo vel genetivo coniungitur, absolute praeter hunc locum versibb. Δ 329. Σ 422. *v* 106 usurpatur. Sed cum his in locis e poetae verbis manifesto appareat, quid ad vocem *πλησίον* supplendum sit — et vocem *πλησίον* prorsus absolute usurpari posse quis est, qui putet? — in vs. ϑ 7 non e poetae verbis, sed extrinsecus '*ἀλλήλοιν*' supplendum est. Praeterea in eodem versu (et recenti τ 24) vox '*μετοίχομαι*' absolute in usu est, quae aliis in locis semper cum accusativo coniungitur (La Roche, Acc. pg. 119). — vs. 10 ex libro β (=384) receptus non bene in loco suo constat; etenim poeta satis inepte deam singulos reges eundem in modum ac si cum omnibus coniunctis loqueretur,

compellantem facit. Quis est enim, qui e versibb. 10 et 11 non efficiat, ut Minerva unumquemque plurali numero (*Φαιήκων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες* et *πύθησθε*) affata sit. — vs. 12 Minerva causam non iustam affert, cur Phaeaces ad contionem convocet: neque enim opus est, ut Phaeaces, quo hospitis res audiant et ipsum conspiciant (cfr. Ebeling s. v. *πεύθομαι*), in forum conveniant, quandoquidem antea omnes aderant, cum Ulixes Alcinoi tecta intrabat (*η* 136), sed ideo conveniunt, ut de Ulixis reditu consilium capiant (*η* 189 sq.). — vs. 15 *ὡς εἶπουσ' ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸν ἑκάστου'* ex Iliade inepte receptus est, ubi, ut rectum est, semper usurpatur, si quis homines ad pugnandum inflammavit (cfr. *E* 470. 792. *Z* 72. *Λ* 291. *N* 155. *O* 500. 514. 667. *Π* 210. 275 cfr. Lentz, de versibus apud Homerum perperam iteratis, Bartenstein 1881, pg. 31). — In universum autem adnotare liceat viros doctos totam hanc contionem, quae secundum contionem *I* 10—79 depicta est, gravissime suspectam habere, qua quidem de re, cum versus 16 sq. epiphaniam non contineant, nostrum agere non est (sed cfr. Gemoll, Herm. XVIII pg. 55 sq.). — In epiphania Θ^2 vs. 193 poeta, cum versum *Ψ* 333 respiceret, plurali numero ita inepte usus est, ut Minerva non solum unius Ulixis certamini se admiscere, sed etiam de reliquis certantibus, quantum lapidem proiecerint, adnotasse videatur. — vs. 197 non intellegitur, quidnam sit *'σὺ δὲ θάρσαι τόνδε γ' ἄεθλον'*, quo accedit, quod vox *'θάρσειν'* solo in hoc loco et cum accusativo coniuncta et medio in versu collocata est. — vs. 200 Ulixes gaudet, quod *'ἑταῖρον ἐνηέα λεῦσσ' ἐν ἀγῶνι'*; neque vero intellegitur, quo iure eum, qui victoriam suam proclamavit, virum et fortem et amicum sibi esse censuerit. Quid multa? — Omnibus istis argumentis et e rebus divinis et aliunde petitis comprobatur, quod Kirchhoff (pg. 211) suspicatus est, libri Θ initium recentiore aetate esse conceptum.

Caput III.

Quod postquam de versibus, ubi dei commutatis formis apparent, verba fecimus, ad eos locos transeamus, ubi dei non commutati cum hominibus colloquuntur. Non commutati autem rebus se admiscent et Minerva (versibb. *o* 1—43 et *σ* 190—97) et dei minores qui vocantur.

§ 19.

vs. *o* 1—43. Minerva Pylum profecta Telemachum, quocum noctu congreditur, domum redire jubet.

Ut supra quaerere solebamus, quibusnam de causis dei certas formas induissent, ita in hoc loco imprimis cognoscere interest, cur Minerva non commutata Telemacho apparuerit. Potest autem, ut alienam formam non indueret, sola ea causa permota esse, quod putabat, Telemachum, si divinitus reditum sibi esse imperatum nesciret, dicto audientem non futurum esse. Haec vero causa nulla est, cum et Telemachus ipse (*β*) et Nausicaa (*ζ*) et Ulixes (*η*) deae etiam incognitae obsecuti sint. Ex altera parte Telemachus, quem ex libris *α*—*γ* cognovimus, non is erat, qui domum reverti jussus apud Menelaum temere moram interposuisset, quoniam vel in libro *δ* (594) pronuntiaverat sese quam celerrime rediturum esse. Apparet igitur sine certo consilio Minervam non commutata figura cum Telemacho congredi. Nunc vero priscis temporibus dei semper commutati apparent et, nisi discedentes, non cognoscuntur; media aetate Minerva cognita cum Ulixe colloquitur, sed poeta, cum Telemachum deam non adspicientem facit, apertis verbis dicit, immortales solis principibus viris non commutatos apparere (*π* 161). Qua ex re intellegitur non solum prisca sed etiam media aetate deorum cum hominibus commercium haud

parvi momenti fuisse. Hic vero noster, qui deam non commutatam cum Telemacho — id, quod antea in libro π nefas erat — congredientem facit, ostendit sese deae praesentiam non ita magni aestimare.

Idem cognoscitur, si respicias, quomodo Telemachi animus Minervae congressu commoveatur. Priscis enim temporibus tamquam attonitus obstupuit, cum deam cognosceret abscedentem, media aetate Ulixem, quem deum esse suspicabatur, vix oculis intentis aspicere ausus est (π 178 sq.), hic vero ubi deam non commutatam ad cubile suum accedentem videt, ne verbo quidem se reverentia aut admiratione affectum esse ostendit, sed postquam dea abiit, Pisistratum expergefactum profectum jubet comparare. Utroque autem ex argumento apparet, ut poeta divinam naturam plane neglexerit, quam ob rem dubium non est, quin locum o 1—43 cum Kirchhoffio (pg. 502 sq.) et Wilamovitzio (pg. 92 sq.) recentioribus temporibus tribuamus. — At poeta Minervam ad Olympum redeuntem facit! — Fateor, sed qui neglegentias modo commemoratas commisit, Minervam neque artis neque religionis rationibus permotus e terra dimisit: immo nihil fecit, nisi quod versum 43, quo epiphaniae saepius concluduntur (cfr. Ω 468. 694, $\varkappa$ 307 cfr. o 454), in ipsius versus inseruit. Denique quod causam attinet, qua permota Minerva descendit, concedo eius auxilio non indignum esse, quod Telemachum, qui de patris reditu nihil compertum habet, divina sua auctoritate revocat. Verum quod omnino Telemachus nondum revertit, quamquam antea se quam celerrime profecturum professus erat (δ 594), gravissimam movet offensionem, quo accedit, quod divino demum imperio, ut tandem redeat, commotus est.

Accedunt autem multa alia argumenta, quibus recentioris poetae inscitia manifesta fit. Quid enim est, cur Minerva mendacia dicat? Si quidem opus erat Telemachum revocare, eodem jure patris reditum nuntiare poterat quam ineptis mendaciis Penelopen calumniari. Sed poeta, cum ista facit, ostendit sese Penelopes non minus quam Minervae naturam atque indolem neglegere, ostendit quoque, ut

Kirchhoff recte vidit (pg. 504), libri *π ἀναγνωρισμόν*, qui vocatur, sibi notum fuisse. Namque si istum locum ante oculos non habuisset, Minervam ista mendacia dicentem non fecisset. Praeterea singulos versus perquirentes, non raro poetae vitiis et inertia, ut semper in recentioris aetatis partibus, offendimur: vs. 3 duobus hemistichiis plane idem significatur (*νόστου ὑπομνήσουσα = ὀτρυνέουσα νέεσθαι*). — vs. 4—7 poeta in verbis componendis satis rudem se ostendit, cum, „Minervam Pyli et Telemachum et Pisistratum, hunc dormientem illum prae curis insomnem offendisse" enarraturus, rem simplicissimam, hac inerti sententiarum compage utitur: *εὗρε Τηλέμαχον καὶ Νέστορος υἱὸν εὕδοντα, ἤτοι Νεστορίδην ὕπνῳ δεδμημένον, Τηλέμαχον δ' οὐχ ὕπνος ἔχε.* — vs. 5 cfr. *δ* 302. — vs. 8 '*μελεδήματα πατρὸς ἔγειρε*', quod schol. H recte interpretatur '*ἤθροιζεν οὗτος καὶ συνῆγεν*', singulariter et contorte dictum est. — vs. 9 cfr. B 172.—vs. 10—13 = *γ* 313—316.—vs. 16 Penelopes fratres, qui alicubi non occurrunt, hic noster sibi ultro excogitavit. — vs. 24—26 a quibusdam veteribus grammaticis falso eliminati sunt '*ὅτι (Τηλέμαχος) μηδὲν τούτων ἐπανελθὼν ποιεῖ*'. Sed quae Minerva imperat, omnino inepta sunt, cum ad dominationem suscipiendam fidelissima illa ministra non opus sit, praesertim cum Penelope nondum abierit (cfr. 15). — vs. 29 cfr. *δ* 671. — vs. 30—32 = *ν* 426—28. — vs. 33 Non satis liquet, quidnam Minerva verbis '*ἑκὰς νήσων*' sibi velit. Proci '*ἐν πορθμῷ (ἀπ. εἰρ. = ἡ στενὴ θάλασσα* schol.*) Ἰθάκης τε Σάμοιό τε*' insidiantur Telemacho (29) h. e. in angustiis inter Ithacam et Samum. Itaque Minerva praescribit, ut per medium fretum inter utramque insulam pervehatur; sed poeta rem ita expressit, ut voce '*νήσων*' alias insulas significare videatur. — vs. 34 non apparet, cur Minerva non apertis verbis dicat sese ventum secundum missuram esse, quandoquidem non commutata cum Telemacho colloquitur. — vs. 38. 39 (falso propter vocem *ὁμῶς*) e libro *ν* (404/5) recepti sunt (cfr. Kirchh. pg. 505). — vs. 41. 42 cfr. *π* 130/31. — (De vs. 45 = K 158 cfr. Wilam. pg. 15, Gemoll, Das Verhältnis des zehnten Buchs der Ilias zur Odyssee, Hermes XV (1880) pg. 559).

§ 20.

Versibus σ 190—97, ubi Minerva Penelopen in publicum processuram comit et exornat, non minus offendimur. Etenim satis mirum est, quod eadem dea, quae in libro ζ Nausicaae dormienti aliena forma induta apparebat, hoc loco non commutata cum Penelope dormiente, quacum aliis in locis non colloquitur, commercium facit. Quae offensio augetur, si respicis, quod media aetate ne Telemacho quidem, quem summa cum cura adiuverat, manifesta apparuit, 'οὐ γάρ πως πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς' (π 161). Praeterea priscis temporibus dei solis eis rebus, quae et maximi momenti erant neque nisi deis juvantibus perfici poterant, se admiscebant. Sed quae Minerva hoc loco perficit, neque ullius momenti sunt neque divino auxilio digna videntur. Namque ad universam Odysseae fabulam promovendam nihil valent, cum Penelope eo, quod ad procos procedit, id solum efficiat, ut donis expleta in thalamum redeat; postea hujus rei nusquam mentio fit; atque Penelopen, quae per se ipsa summa pulchritudine floret (δ 366), ornare non tantae molis erat, ut divino auxilio opus esset, quae res eo comprobatur, quod puellae auctam eius pulchritudinem ne animadvertunt quidem, cum tacitae una cum domina ad procos descendunt (Volkmann, l. l. pg. 105). Quid? quod etiam ratione, qua Minerva Penelopen adiuvat, offendimur. Quis enim est, qui neget Minerva plane indignum esse, quod eisdem muneribus fungitur, quibus servae solent [20]), quibus dominam ornare imperatum est, praesertim cum, quomodo Penelopen ornaverit, diligentissime describatur. Denique quamquam Minervam abscessisse legimus, de tempore, quo venerit, adeo incerti relinquimur, ut ne cognoscamus quidem, utrum Penelopae absens an praesens somnum conciliа-

---

[20]) Eandem ob causam Zenodotus versum Γ 423 eliminavit, (cfr. schol. A ad Γ 423. B T ad Γ 424. Nitzsch ad Θ 6 sq.)

verit. Quid plura? — Etiam hac in epiphania recentiorum temporum neglegentiam cognoscimus.

Accedunt alia recentioris aetatis argumenta, velut vs. 192 voci *πρῶτα* adverbium correlativum, quo enumeratio continuetur, deest, cum poeta, postquam Minervam Penelopen primum pulchritudine unxisse narravit, quid dea deinde fecerit, non addat. Eodem in versu Minerva Penelopen non unguento quodam vel ambrosia, qua dei varium in modum uti solent (cfr. Ebeling s. v.), sed mera pulchritudine unguit (*ἀμβρόσιος* = divinus). '*ψιμύθιον* puto fuisse' ait Wilamovitz (pg. 32), recte quidem, sed priscae aetatis poeta unguentum certo nomine appellasset, quod quidem recentiorum temporum hominibus non placebat. — vs. 195 male ex libri ϑ (20) recenti initio receptus est; hoc vero ab hujus poetae ingenio non ita abhorret, ut Kirchhoffio adsentiamus, qui vs. 195 interpolatum censet (pg. 520). In universum autem, ne longus sim, eis, quae de versibb. 190—97 effecimus, sententiam Wilamovitzii confirmavimus, qui vs. σ 158—303 recentioribus temporibus insertos esse sagacissime demonstravit.

§ 21.

Quod postquam omnes Odysseae locos, ubi dei et commutati et non commutati cum hominibus congrediuntur, perlustravimus, quaestio nascitur, utrum priorum an recentiorum temporum proprium sit deos commutatos cum hominibus colloquentes sibi excogitare; quae res a principio e prioris aut posterioris aetatis indole ac natura diiudicari non potest. Etenim dicat quispiam prisca tempora simpliciora esse quam quibus poetae ad sententiam, quae philosophiam quandam resipit, processerint, eam dico, qua deos humanis formis non praeditos et sibi excogitabant et agentes faciebant; verisimillimum igitur esse deos prisca aetate hominum formis indutos in terram descendisse, postea vero, cum homines acutius rebus divinis percogitatis religionem meram, et quae cum deorum natura magis consentiret, excoluerint, deos ipsorum formis rebus se admiscuisse. Sed eodem jure

adversarius quidam contendat prisca tempora simpliciora esse, quam quibus poetae sagaciter excogitaverint, qua forma induti dei cum hominibus commercium facerent; prisca igitur aetate poetas contentos fuisse solum adnotare deos cum hominibus collocutos esse; postea vero poetas, cum res divinas acutius deliberare coeperint, quaesivisse, quibusnam formis praeditos deos cum hominibus congredientes facerent, et tum demum coelestibus formas humanas induisse. Quarum sententiarum inter se plane oppositarum cum utraque optimo iure valeat, manifestum est, a priori, ut termino nunc usitato utar, de ratione, qua poetae priscae aut recentioris aetâtis deos apparentes fecerint, omnino nihil dijudicari posse.

Nunc vero invenimus deos eis in locis, ubi commutati apparent, summa cum veneratione depictos, eis autem, ubi non commutati se admiscent, neglegenter et sine reverentia descriptos esse. Accedit, quod in omnibus priscae aetatis epiphaniis dei alienis formis induti cum hominibus congrediuntur, verum ei loci, ubi non commutati apparent, omnes recentioribus temporibus concepti sunt. Itaque optimo iure censemus priscae aetatis proprium esse, ut dei commutati appareant, recentioris aetatis, ut alienas formas non induant. Istud vero cum neglegentia horum temporum optimè consentit. Non enim deos non commutatos ideo agentes faciunt, quod commutatos deos hominibus apparere non cum rerum divinarum indole ac natura consentire existimant, sed quod formas, quas dei induant, omnino non curant. Huiusmodi igitur poeta, cum scribit ‘ἀγχοῦ δ' ἱσταμένη. προσέφη γλαυκῶπις Ἀθήνη’ (ε 9) forma, qua dea usa sit, non addita, non significare vult Minervam ipsius forma usam, non commutatam accessisse, sed omnino de deae forma quaerere distulit.

Cognoscimus autem ex eis, quae modo deliberavimus, Homericos poetas a deis commutatis eo descendisse, ut formas, quibus induti dei apparerent, non adderent. Neque vero supervacaneum videtur, etiam reliqua argumenta, e quibus de singularum epiphaniarum indole et aetate judicavimus, breviter recensere, ut intellegamus, quo certo ordine diligentia in rebus divinis depingendis sensim comminuta sit.

Formae, quas dei induunt, prisca aetate magna cum diligentia ita eliguntur, ut et cum divina auctoritate et cum cuiusque loci ratione et indole consentiant. Apparent autem dei tamquam homines certis nominibus praediti (β γ, ζ) aut, si nomina non adduntur, formae ipsae accuratius describuntur (η, κ). Postea, h. e. media aetate poetae, cum singulorum locorum rationem neglegant, temere ex ipsorum libidine formas sibi fingunt (ν, π, υ). Postremo deos formas induentes faciunt, quae aut e priscis locis descriptae sunt (α, χ, ω) aut cum divina auctoritate non consentiunt (ϑ).

Priscis temporibus dei ab hominibus, quibuscum commercium faciunt, aut omnino non **cognoscuntur** (ζ, η [κ]), aut tum demum, cum discedunt, veram naturam ostendunt (β γ, [α]), quo accedit, quod ipsi, ne cognoscantur, diligentissime cavent. Postea, quamquam ab omnibus non cognoscuntur, tamen cum nonnullis et eis principibus viris ita colloquuntur, ut illi divinam naturam perspectam habeant (ν, π, υ). Postremo ita se gerunt, ut fieri non possit, quin ab omnibus cognoscantur (χ, ω). Hic vero inde, quod sentiendi ratio eo certo ordine descendit, ut dei primum non cognoscantur, postea divinam naturam manifestam reddant, optimo jure efficitur, ut etiam priscis temporibus ei loci, ubi dei non cognoscuntur, eis, ubi abeuntes divinam naturam ostendunt, tempore praecedant. Itaque Phaeacum fabulam, ubi dei non cognoscuntur, ante Telemachiam, ubi discedentes veram naturam ostendunt, compositam censemus esse; hoc vero et re ipsa comprobatur — Phaeacum enim fabula in ipsius fundamentis constat, Telemachia autem plane in illa nititur, cum ejus et res adversae et iter in Ulixis absentia posita sint — et a viris doctis velut a Niesio (pg. 147), Kirchhoffio (pg. VIII sq.), Wilamovitzio (pg. 99) confirmatur.

De eis, **quae dei sibi conficienda proposuerunt,** inter priscam et recentiorem aetatem non eadem cum subtilitate discerni potest atque de reliquis argumentis. Certe priscae aetatis proprium est, ut dei solis eis rebus, quae alicuius momenti sunt, se admisceant; hoc vero etiam recentiores

poetae maximam partem retinuerunt, cum deos insignibus locis in terram descendentes facerent. Sed nihilominus nonnulli exstant loci, ubi dei vilissimis rebus se admiscent, qua re recentiorum temporum neglegentia manifesta fit (ϑ, σ pg. 73. 79).

Via ac ratione dei priscis temporibus quae sibi proposuerunt, exsequuntur, (β γ, ζ, η, ϰ [α]); postea, quamquam certum intendunt finem, tamen cum propositum non strenue respiciant, non raro extra rem loquuntur aut satis contorta ac singulari via procedunt (ν. π. pg. 59); postremo ita inepte et perverse se gerunt, ut optimo iure mireris, quod omnino proposita consequuntur (ω pg. 17), aut, quae sibi proposuerunt, omnino non perficiunt (ϑ. χ. pg. 74. 28.).

Rationem vero, **qua cum hominibus colloquuntur,** si respicis, priscis temporibus dei cum mortalibus magna cum auctoritate, cui quidem comitas non deest, commercium faciunt (βγ. ζ. η. ϰ. [α]); sed cum auctoritas sensim diminuatur, comitas magis magisque augetur (ν. π. ν), donec eo perveniunt, ut hominibus familiariter tamquam amicis et sociis utantur, ipsorum divina auctoritate prorsus neglecta (ο. χ. ω).

Idem in **ratione, qua homines cum deis colloquuntur,** observatur. Prisca enim aetate cum pia veneratione deos vel incognitos adloquuntur (η), divina natura cognita attoniti obstupescunt (β γ. [α]). Postea divina auctoritate comminuta vel homines deis tamquam amicis utuntur (ν. π. ν), dum recentissimis temporibus deorum praesentiam neglegunt (ο. χ. ω. pg. 77. 28. 15.), quin etiam coelestes propter inepta eorum consilia opprobriis obruunt (ν 412—428 pg. 58).

Denique commemoratione dignum est, quod cum prisca aetate, ut fas est, diligenter adnotetur **deos ad homines accedere, re confecta abire,** posteris temporibus poetae non raro commemorare neglegunt, deos aut accedere aut abire, quo fit, ut omnino in terra commorari videantur (ϑ. π. σ. χ. ω pg. 74).

§ 22.

Haec fere habuimus, quae de locis, ubi dei cum hominibus colloquuntur, diceremus. Praeteriimus autem vs. ν

159—164, ubi Neptunus navem redeuntem una cum Phaeacibus in saxum commutat, et δ 795—839, ubi Minerva simulacro Iphthimes facto Penelopen consolatur. Hos enim locos perquirere nostrum non esse putavi, quod, si rem accurate inspicis, commercium inter deos et homines factum non continent. Praeteriimus quoque omnes locos, ubi poetae deos singulis vel binis versibus ventum secundum immittentes vel similes minoris momenti res exsequentes faciunt. Ex istis enim versibus, qui inter epiphanias vix numerantur, per se consideratis de temporibus, quibus concepti sint, omnino nihil efficitur [21]). Verum de eis locis, ubi dei minores, qui vocantur, cum hominibus congrediuntur, pauca commemoranda sunt. Agitur autem de locis hisce: Eidothea (δ 364—425) et Proteus (δ 426—570) cum Menelao colloquuntur, Calypso (ε 55—268), Leucothea (ε 333—352), Circe (κ 210—574) cum Ulixe colloquuntur.

Etiam dei minores in deorum numero habendi sunt, ut vel inde intellegitur, quod 'θεοί' (Eidothea δ 364. 376. Proteus δ 367. Calypso ε 186. 215. Leucothea ε 335. Circe κ 310/11) vel 'δῖαι θεάων' (Eidothea δ 387, Calypso ε 78. 85. 192. 242. 246. 258) appellantur. Itaque eis cum deis superis, quibus Calypso quodammodo videtur aequata (ε 213. 218), non pauca communia sunt, veluti quod ambrosia (δ 445) et nectare (ε 93. 199.) vescuntur, neque morte (ε 213. 218) neque senectute (ε 218) afflictantur. Praeterea ut dei superi res futuras aut cognitas habent (Proteus δ 561 sq. Leucothea ε 345. Calypso ε 206) aut viam ostendunt, qua mortales, quae futura sint, prospiciant (Eidothea δ 399 sq. Circe κ 490 sq.). Neque divina potestate carent, cum ventum immittere possunt secundum (ε 228), quod aliis in locis Jup-

---

[21]) Loci sunt hice: Minerva consopit Penelopen α 364. π 451. τ 604. φ 358; Ulixem ε 493. Minerva pulchriores reddit Telemachum β 12. ρ 63; Ulixem ϑ 18, e balneis egressum ζ 229 ψ 156; Laertem-e balneis egressum ω 367. Minerva hominum animos commovet ε 427. 437. ζ 112. 139. ρ 360. σ 158. τ 479. φ 1, similiter σ 347, υ 284; hominem morti destinat σ 155. Abstracte usurpatur in versibus τ 2 et τ 52: μνηστήρεσσι φόνον σὺν Ἀθήνῃ μερμηρίζων.

piter aut Minerva (*ϰ* 25, *β* 42), in Iliade solus Apollo (*Λ* 479) faciunt, cum homines commutare (Circe) et immortales reddere (*ε* 135 cfr. *ψ* 335) possunt. Denique commemoratione dignum est, quod Circes divina natura uno loco summo pondere premitur (*ῥεῖα παρ' ἐξ ἐλθοῦσα, τίς ἂν θεὸν οὐκ ἐθέλοντα ἴδοιτο κτλ. ϰ* 573 sq.).

At tamen a deis coelestibus utique absunt. Namque primum, ut Proteus '*Ποσειδάωνος ὑποδμώς*' (*δ* 386) est, ita omnes deis superis subiecti et obsequentes sunt, ut Calypso apertis verbis profitetur, cum dicit '*αἴ κε θεοὶ γ' ἐθέλωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι | οἵ μοι φέρτεροί εἰσιν νοῆσαί τε. κρῆναί τε*' (*ϰ* 169 sq,); itaque vel nomine interdum a coelestibus disiunguntur, velut Proteus *ἅλιος γέρων* appellatur (*δ* 365. 384), deis feminis etiam propria significatio *νύμφη* apposita est, praesertim Calypsoni (*α* 14. *ε* 57. 149. 153. 195. 230) et Circae (*ϰ* 543). Potentia, quam certis finibus circumscriptam esse Circe ipsa profitetur (*ε* 89 *τελέσαι με θυμὸς ἄνωγεν εἰ δύναμαι τελέσαι καὶ εἰ τετελεσμένον ἔστιν*), imprimis ea re restringitur, quod non, ut dei superi, in quemlibet locum libere se conferunt, sed cum certis locis quodammodo coniuncti sunt; Leucothea igitur, Proteus, Eidothea in mari commorantur, ex quo, velut Eidothea cum patre, solum in litus aut insulam marinam ascendunt, Calypso vero et Circe suam quaeque insulam non derelinquunt. Quae cum ita sint, sua sponte cum hominibus congredi nequeunt, sed exspectandum est, donec mortales ipsi in fines suos pervenerint. Si vero cum hominibus commercium faciunt, omnes non commutati apparent, excepto Proteo, qui sola ea de causa alienas formas induit, ut hominum manus effugiat; sed haec commutatio cum formis alienis deorum superorum, qui quidem formas leonum, suum, aquae, arborum (*δ* 456) nunquam induunt, conferri non potest. Praeterea humanis rebus occasione oblata, non e certo consilio se admiscent; immo ex voluntate ac libidine homines aut adiuvant, siquidem misericordia commoti sint (*δ* 364. *ε* 336. *ϰ* 399), aut damnis afficiunt (Circe). Si vero propitii ac benevoli sunt aut sponte aut ab hominibus vi coacti (*δ* 415) — quod quidem non sine magno deorum minorum timore (*ϰ* 323 sq.) fit — tum

eodem modo atque feminae mortales se gerunt, ad quodvis munus aut servitium paratae (δ 435. ε 165. 246. 258. κ 572), velut Circe ipsa Ulixis sociorum pedes lavat (κ 449), cum hominibus lecto et amore coniunguntur (ε 154. 227. κ 334. 347. 480.), quo vinculo dei superi et homines mortales eis temporibus, ubi Homeri fabulae aguntur, non iam coërcentur (cfr. Nägelsbach, homer. Theol. IV. 4.). Ex altera parte homines, qui cum minoribus deis congrediuntur, verecundia aut pietate non commoventur, veluti Menelaus Proteum Ulixes Circen vi petunt Quin etiam , tamquam si libidinosam nympharum naturam perspectam habeant, vel benevolis et propitiis diffidentes (ε 356. 173. κ 341), ut sacro iuramento promissa confirment (ε 178 sq. κ 343 sq.), postulant.

Jam vero quaerimus, num e deorum minorum epiphaniis aetatem efficere possimus, qua quisque locus, ubi se admiscent, compositus sit. Qua in re primum apparet huiusmodi epiphanias cum deis superis comparandos non esse. Namque si argumenta, quibus supra non sine fructu usi sumus, ad hos locos diiudicandos adhiberemus, cogeremur, ut omnes recentissimis temporibus attribueremus — etenim incommutati apparent, statim cognoscuntur, non via ac ratione homines adiuvant, in terra commorantur, cum mortalibus familiaritate et connubio coniuncti sunt, auctoritate atque hominum cultu ac pia reverentia non utuntur — hoc vero vel ideo verisimile non videtur, quod minorum deorum epiphaniae omnes Telemachia et Phaeacum fabula h. e. priscis Odysseae partibus continentur. Maxime autem, quominus utriusque generis epiphanias conferamus, impedit, quod dei minores, ut supra vidimus, natura praediti sunt, quae a deis superis ita differt, ut admodum pauca inter utrosque communia sint.

Quid? quod hos locos, quos inter epiphanias supra tractatas inserere non licet, ne inter se quidem comparatos certis temporibus adscribere possumus. Sunt enim dei minores in omnibus epiphaniis tam aequabiliter depicti — si varietates, quae in cuiusque loci vario argumento positae sunt, ut par est, praetermittimus — ut differentiae, quae

alicuius momenti sint, vel e quibus cognoscamus singulos poetas de eiusmodi deis eorumque natura diversas sententias habuisse, omnino non inveniantur. Uni versus ε 333—352, ubi Leucothea Ulixi auxilio venit, inter alios locos excellunt, quod Leucothea et e mortali virgine dea facta est [22]) et Neptuno resistere audet, cum Minerva, ut auxilium ferat, non adsit. Sed quamquam utraque offensio ad res divinas pertinet, tamen operi supersedemus in hanc epiphaniam verbosius inquirere. Nam cum Leucothea neque cum deis superis propter naturae differentiam comparari possit, neque ab aliis minoribus deis praeter illas offensiones, e quibus solis de temporibus nihil effici potest, differat, argumenta, e quibus huius epiphaniae aetas constituatur, alia ratione aliis ex rebus petenda sunt, quod quidem nostra non interest (cfr. Wilamovitz pg. 185 sq. Düntzer, Kirchhoff, Köchly u. d. Odyssee. Köln 1872 pg. 89.).

Haec habui, quae de Odysseae epiphaniis dissererem. Iliadem vero, quam propter causam supra (pg. 6) commemoratam hac dissertatione non tractavi, postea occasione data recensebo.

---

[22]) Sed etiam, quod mortales dei fiunt, apud Homerum saepius occurrit; cfr. Ganymedes Υ 232 sq. Menelaos δ 56 sq. Klitus ο 250 Dioscuri λ 303 sq.; in universum cfr. ε 135.

Vita.

Benno Diederich Berolinensis natus sum die XIII mensis Martii anni LXX h. s. patre Gustavo, matre Maria de gente Hinz. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primitiis in progymnasio, cui tunc praeerat A. Löchner vir praestantissimus, imbutus gymnasium Humboldtianum adii a. LXXIX, deinceps patre Altonam Holsatorum in urbem vocato gymnasium Christianeum Altonense inde ab anno LXXXV frequentavi; utroque in gymnasio usus sum disciplina virorum humanitate et doctrina excellentium, e quibus praecipue mihi sunt nominandi Carolus Lehmann Berolinensis, Fridericus Reuter, Udalricus Kehr Altonenses. Maturitatis testimonio instructus anno LXXXIX universitatem Gottingensem per tria semestria, universitatem Kiliensem per quinque semestria frequentavi, cum studiis classicis et germanicis operam navarem. Docuerunt me vv. dd. Baumann, Leo, G. E. Müller, Peipers, Rehnisch, Roethe, Sauppe, v. Wilamovitz-Moellendorff Gottingenses; Blass, Bruns, Cauer, Deussen, Erdmann, Forchhammer, Gering, Glogau, Schöne Kilienses. Sodalis fui proseminarii Gottingensis per tria semestria, seminarii Kiliensis per quinque semestria. Germanici proseminarii sodalis fui Gottingae, seminarii sodalis extraordinarius Kiliae. Praeterea interfui exercitationibus philosophicis, quas instituerunt Baumann, Deussen, Glogau, G. E. Müller. Omnibus his viris gratias ago semperque habebo quam maximas, imprimis autem Paulo Cauer, qui in his Homeri studiis me detinuit, atque eis incumbentem liberalissime opera et consilio adiuvit, gratias quoque ago maximas Alfredo Schöne, qui in his studiis versanti mihi nunquam defuit.

Theses.

1. E versibus T 30—33, ubi Thetis Patrocli corpori conservando operam dat, ad aetatem, qua Ilias concepta est, constituendam non nihil efficitur.
2. C. Rothe non recte censet versus iteratos nihil valere ad compositionem Homericorum carminum cognoscendam.
3. Tibullus carmen II 5 eo, quod Phoebum nominatim invocat, in partes suas disponit.
4. In Aeneae commentario poliorcetico verba '*διὰ τὰς φράξεις τῶν ἁμαξῶν*' (II. 6 pg. 8,3 ed. Herch.) adversus Hercherum retineo.
5. Sall. orat. Lepid. § 14 legendum est: simul humanas hostiàs vidistis et simulacra (sepulcra codd.) infecta sanguine civili.
6. In Tac. dial. cap. 17 lego: non Menenium Agrippam ..... nostrorum temporum disertis anteponere voletis (soletis codd.).


FEB 20 1920

Gh 63.523
Quomodo dei in Homeri Odyssea cum h
Widener Library 005168625
3 2044 085 128 171